celerius ex illis reſurgamus, cum in eadem incidimus; cum interim minora, quo magis cognoſcuntur, eo minus evitantur. Vehementis febris acceſſio ſatis nos urget, ut medicinam quæramus; at lenta febricula, quæ ſerius ocyus ad tumulum adducit, facile contemnitur. *Pater Croiſet in Exercitationibus Aſceticis.*

Conſilium pro viribus levia peccata evitandi.

Nihil aliud agitur mihi, Domine, niſi ut ſartam, tectamque tuear, ſemperque augeam gratiam tuam; jugis hæc cura in bono, certa mihi faciet valida præſidia in occaſionibus criticis, atque periculoſis ſaluti meæ, quæ non ſemper evitari poſſunt. Sed multo minus negligendæ mihi ſunt leves noxæ; quarum nonnullas ſemper quidem committam, Domine, ſed hoc per fragilitatem, & infirmitatem fiet, non autem quia a me tamquam modicum aliquid exiſtimentur. Levia peccata levia non ſunt niſi habita ratione graviorum. *P. Segneri. Tomo 5. Meditationum.*

Metuendū eſt, ne levium peccatorum habitus nos in graviora ſcelera inducat.

Vereamur ne ex levium peccatorum habitu non ſolum incidamus in aliquod grave ſcelus, verum etiam in eam nequitiam, ex qua noſmet colligere numquam valeamus. Voluptatum cupiditas Davidem fregit, quin leves noxæ lapſum illius præparaverint: ita David ſimulac a Propheta correptus fuit, ſeſe humiliavit, atque reliquo vitæ ſpatio lacrymis eluit crimen. Salomon quoque Patrem imitatus lapſus eſt, ſed poſtquam ſeſe plurimis abdidit nugis, quæ cor molliunt, & vulgo in illius corruptione deſinunt; ita Salomon de flagitiis in flagitia ruit euſque, ut ſeſe cum mulieribus proſterneret coram idolis, quæ ipſæ venerabantur. Amor proprius non habet callidiores inſidias, quas mihi ſtruat, quam mihi deſiderium ciendo magna faciendi propter Deum, cum efficit, ut interim vulgatiora mei ſtatus officia contemnam. Numquid Domine, quia facile eſt obedire tibi in minoribus, putem me nequaquam ea facere teneri? Quæ illuſio! ſpero me graviores hoſtium impetus facile illuſurum; mihi deficit animus, ut levioribus incurſibus reſiſtam. Cuperem aliquando ſæviſſima a Tyrannis ſubire tormenta, & a fratribus meis nil perpeti volo? Undenam in rebus arduis hanc inveniam animi vim, quæ mihi in facilioribus deficit? *Pater Segneri Meditationum.*

Ejuſdem argumenti.

Fateor, Domine, nonniſi per jugem, triſtemque praxim modicorum officiorum meorum exercere, experiri, formare poſſum virtutem meam pro magis occaſionibus, tibi ergo in minimis impoſterum fidelis ero; quandoquidem nonniſi per hoc, magnum mihi theſaurum meritorum in cœlo comparare poſſum. Et ſane quid facerem, quid pro te Domine paterer, ſi id faciendi inſignes occaſiones perquirerem? Raro hujuſmodi accidunt occaſiones, & rarius in illis fidelis invenitur, qui minimis in rebus fidelem eſſe deſiit. Heu! Funeſta nos docet experientia, levibus noxis in anima imminui horrorem peccati, proclivitatem in malum augeri; & ubi contemnantur, facile eſſe in interitum labi. *P. Segneri. Tomo 5. Meditationum.*

Qui facile in minora labitur peccata, labitur quoque in majora. Luc. 16.

Sicut ille, qui non habet in pretio vulgatiſſimam virtutum praxim, ſperare non poteſt, ſe ubi tulerit occaſio, heroicos actus facturum; ita, qui leves noxas contemnit, vereri debet ne in graviora ſcelera corruat. Hoc Salvator nos monet: *Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis erit, & qui in modico injuſtus eſt, & in majori iniquus erit.* Non ait autem, qui injuſtitiam committit, ſed qui iniquus eſt, ut oſtendat non propter unicam, levemque injuſtitiam, ſed per habitum injuſte operandi tandem eo procedi, ut innumeræ committantur. Inde ergo præſumitur, nos nequaquam pares futuros, qui gravi alicujus peccati tentationi reſiſtamus; quia ſumma cum animi tranquillitate nobiſmet omnia levium peccatorum genera permittimus. Et ſane ſi bonus habitus plurimum valet in nobis, ut nos ad bonum operandum impellat; malus habitus multo magis valebit in nobis, ut in malum agat, cum ad id corruptæ naturæ ſtudium graviorem impetum tribuat. Aqua ex colle decidens, lapſu ſuo tantum virium acquirit, ut ſenſim præaltam aliquam abyſſum effodiat. Ita qui argenti amator eſt, exempli cauſa, conſueſcit ſibi quibuſdam in occaſionibus vindicare pecunias nullo jure ad ſe pertinentes, avaritia ejus, quam primum ab exiguis furtis ad graviora, ex his ad ſacrilegium, ex ſacrilegio in quodcumque enormiſſimum ſcelus migrabit. Hæc via eſt, quam avaritia perfido aperuit diſcipulo, qui Dominum, Magiſtrumque ſuum tradidit Judæis. Quod in opum cupiditate accidit, uſuvenit etiam in aliis, quas ſequi conſuevimus in iis, quæ parvi momenti videntur. Habitus, quem infinito propemodum exiguarum noxarum numero contraximus, ſenſim noſtris deterit oculis eorum criminum gravitatem, quæ ſunt graviora. Ita Salvator de illo, qui ſine ulla religione novas culpas admittit, loquitur tamquam gravium ſcelerum reo, ut nobis oſtendat exiguum illud diſcrimen, quod invenitur inter levium peccatorum habitum, & lapſum in deteriora. *Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus erit. Pater Segneri Meditationum.*

Veniale peccatum eſt malum magnum.

Sancti Patres, atque Doctores docent nullam Dei offenſionem pro levi eſſe habendam; omnia creaturarum mala nihil eſſe, ubi cum Dei offenſione comparentur; Regnorum, & Imperiorum interitum minus eſſe malum in toto terrarum orbe, quam levis contra Deum noxa. Hoc ipſum ratio religionis lumine illuſtrata nos docet. Verumtamen huic dogmati aſſueſcere nequimus; noſtrum commodum illud nobis difficile intellectu facit. Tu, Domine, illud certum, noſtriſque ſumptibus ſenſibile facis. Quomodonam! Replens familias confuſione, & cædibus regna, plerumque in peccati levis pœnam: *Abſque dubio, ut nihil leve exiſtimetur, quo Deus læditur.* Salvianus ait. Hebræi a Deo juſſi lapidibus obruunt fratrem. Quid egit ille? collegit ligna Sabbatho. Oza labitur in terram mortuus coram Arca ſub oculos David, & populi. Quid fecit? Labantem arcam manu tetigit. Saul bello victus coronam, & vitam amittit. Quid operatus eſt? Differt dies aliquot ſupplicium Regis a Domino damnati. Et ſi oculi noſtri adeo perſpicaces eſſent, ut videre poſſent abdita humanæ fortunæ machinamenta, & Deus ſineret, eos penetrare cauſas tot viciſſitudinum, propter quas inceſſanter gemimus, quot nexus eventuum cum cauſis ſuis videremus? Quot leves noxas funeſtis calamitatibus exceptas! Quot commoda diuturnis ægritudinibus expiata! Quot inania gaudia lacrymis, & ſanguine extincta! Quot ſecretas vanitates publicis humiliationibus punitas! Quot negligentias familiarum ſubverſione deletas! *P. de la Rue in Adventu.*

De Gubern. l. 6.

Num. 15.

2. Reg. 6.

1. Reg. 15.

Peccatum veniale nequit eſſe malum exiguum.

Offendere te, Deus meus, etiam veniali noxa, leve malum eſſe non poteſt. Hoc ex omnibus malis poſt peccatum mortale graviſſimum eſt; deterius jactura bonorum, honoris, vitæ; malum, quod nefas eſſet committere, ut mundi totius incolumitati conſuleretur. Te ſatis amem, Domine, vel te ſatis reformidem, ut accuratius levia ſcelera evitem. Modicum illud diſcrimen, in quo illa haberem, æquiſſimam hanc pœnam mereretur, ut me nullo haberes in diſcrimine, ideoque negares mihi peculiaria ſubſidia, quibus fortaſſe mea ſalus inhæret. *P. Segneri. Tomo 1. Meditationum.*

Peccatum veniale poſt mortale maximum eſt hujus mundi malum.

Veniale peccatum, ſi excipias lethale, omnium in mundo malorum eſt maximum. Hoc nobis gravius malum eſt, quam intueri nos omnibus morbis, doloribus, periculis obnoxios. Ita ut ad hæc omnia redimenda mala licere non poſſet vel leviſſimam noxam admittere. Equidem ſcio, veniali culpa Deum minus quam gravi crimine offendi; ſed levis etiam culpa illum vere offendit, illi diſplicet, illum dedecore afficit; qua igitur ex parte videtur nobis eſſe proſpicienda, ut parum aliquid videatur? Ad illam evitandam nonne ſatis eſſe debet, illam verum eſſe malum, veramque contumeliam, quæ cœleſti Patri infertur? Ita agunt filii bene nati; ſi quid vel minimum diſplicet Patri ſuo, quantocumque, illius faciendi flagrant, id ſatis eſt, ut abſtineant. Verum quoque eſt, peccatum veniale non inferre mortem animæ, quod facit mortale, quo in illa extinguitur charitas, vitæ ejuſdem principium; ſed hoc ſaltem eſt principium morbi lethiferi; ægritudo eſt, quæ officit bonæ valetudini animæ, & quæ tandem ad mortem adducere poteſt. Numquid malum negligere poſſumus, cujus eventus ſunt adeo funeſti? Numquid omnem ſtatim negligimus infirmitatem, ubi per ſe nequaquam mortalis videtur? An e contra, nonne ſtatim ſumma cura medemur illi, ne ipſa neglecta paulatim in aliquem inſanabilem morbum migret? Cur autem alia nobis inſiſtendum eſt via, cum de venialibus agitur culpis? *Qui timet Dominum, nihil negligit. Idem.*

Eccli. 7.

Deus venialia quoque peccata in hac vita pœnis, & miſeriis punit.

Obligatio nullum negligendi bonum, nullumque malum contemnendi, non perfectos dumtaxat homines reſpicit, ſed omnes etiam, qui volunt in Domini timore ambulare. Certiſſima hæc veritas eſt: Deus in hac etiam vita punit levia peccata, ſive gratiarum ſuarum ſubtractione, ſive poſitivis ſuppliciis qualia ſunt tribulationes, quarum plurima in Scripturis occurrunt exempla. Si quod igitur negligimus bonum, quod

quod facere poſſemus, ſi quod, licet leve, malum contemnimus, argumento eſt Deum a nobis non amari; imo etiam non timeri, quantum a nobis eſt amandus atque metuendus. *Etenim qui timet Dominum, nihil negligit.* Omnia mihi magna videbuntur, Domine, ubi de tuo honore agatur. Nimium felix, Deus, ſi tibi placere potuero minimarum obſervantia. Nullam bene agendi occaſionem mihi elabi ſinam, & ſi infirmitas mea non patitur ut ſemper agam, ſaltem numquam per contemptum agere prætermittam. *Pater Segneri.*

Eccli. 7.

Punit Deus contemptum levium criminum permittens ut in graviora labamur.

Qui ſpernit modica, paullatim decidet. Horum verborum veritas liquido patet in hoc, quod Deus puniturus contemptum noſtrum levium imperfectionum, patitur nos ruere in majores. Patrum, Doctorumque conſenſus hac in re unanimis eſt, & Scripturarum Exempla, quibus illi innituntur, plane tepidarum animarum oſtendunt calamitatem. Non utitur quidem Deus hac adeo ſevera animadverſione, quin antea diu compulerit, ut ad officium revertamur; ſed repulſarum noſtrarum pertinacia tandem fatigatur. Populus meus voci meæ obtemperare non vult, Deus inquit per Prophetam; Iſrael non audiit me; idcirco tradidi eos in deſideria cordis eorum; ſequentur errores ſuarum cogitationum. Peccata tua, inquis, levia ſunt. Eſto, ſed fere numero ſunt carentia; eorumque multitudo pondus eſt, quod Deus ultra ferre non poteſt. Conqueritur ille per Prophetam ſuum, ſe illo opprimi, ac oppreſſum gemere inſtar plauſtri ſub nimio pondere ſtridentis. *Stridebo ſuper vos.* Mirumne igitur poſt hæc debet eſſe, ſi ille recedit, & nonniſi modica vi vos ſuſtinet? Sine vero validiſſimarum gratiarum ejus ſubſidio, nonne ferme certus eſt lapſus veſter? *Pater Segneri in Meditationibus. Tomo 3.*

Pſalm. 80. 1.

Amos 2.

Nobis non metuēda ſunt imperfectiones illæ, quæ nobis excidunt, ſed earum contemptus eſt pertimeſcendus.

Neque nobis formidanda ſunt levia peccata, quæ noſtræ excidunt infirmitati; ſed illarum contemptus, in quo a nobis haberi poſſent, & modica in illis evitandis cura, nobis eſt pertimeſcenda. Heu noſtra in malum proclivitas nimia eſt, quin illam augeamus adhuc, nobiſmet omnia, citra ſcelus, permittentes. Cupiditas ignis eſt eo tendens, ut nos abſumat: nonne cæci eſſemus illi inceſſanter alimenta præbentes magna vi levium criminum, quæ committimus? Confidimus fortaſſe in hoc, quod a gravioribus culpis procul abſumus; ſed hæc fidentia in ſingulas horas minuitur magna levium ſcelerum copia, in quam ſine ulla religione prolabimur, cumque hanc cum malo neceſſitudinem inierimus, ſenſim, ac ſine ſenſu noſmet in abyſſum peccati ne ſentientes quidem proruiſſe, ſentiemus. Ignavus Fidelis putat adhuc ſe intra juſtos limites contineri, quibus a peccati ſtatu ſejungitur; ſed ubi paulo proceſſerit, utrane juſtos hos limites dignoſcet? Hic illum præſtolatur dæmon certus fore ut ſe aberraſſe cognoſcat; & experientia ſatis docet ſpem tentatoris vix, & ne vix quidem falli. *Ibidem.*

Levium noxarum contemptus ſenſim aufert timorem, quo a gravioribus deterremur.

Levium noxarum contemptus ſenſim imminuit ſalutarem timorem, quo a gravioribus criminibus deterremur. Hæc licet horrida videantur, habet tamen aliquam cum aliis ſimilitudinem, ac inter ſe non alia ratione differunt, niſi qua plus, & minus. At nonne ita natura comparatum eſt, ut iis in rebus, quas inter tanta intereſt ſimilitudinis ratio, prolixus aliarum quidem habitus tandem omnem auferat aliarum formidinem? Minora pericula millies contempta nonne nos ad graviora ſubeunda diſponunt? Altera ex parte augetur in vitium proclivitas, quo magis timor, qui illam tamquam frænum cohibebat, decreſcit. Cupiditas inſtar ignis eſt, qui ubi materiæ adhæreſcit, eamdem quærit abſumere. Venialia peccata ſunt veluti ſcintillæ, quæ cupiditatem ita inflammant, ut non extinguantur, quin magnam aliquam cladem pepererint. Levium voluptatum habitus tandem faſtidimus. Nemo ulterius procedere non vult; ſed cum aliis majores habeant illecebras, metuendum eſt, ne aliorum faſtidium nos ad alios conquirendos impellat. Incidimus in neceſſitatem ſemper huic, vel illi cupiditati ſatisfaciendi, propter diuturnum habitum illius: guſtus modo jam attritus eſt ob mediocritatem voluptatis, quæ inde percipiebatur. Quid igitur agendum? Nullum adjacet medium; in aliud extremum eſt proruendum; *Qui ſpernit modica, paullatim decidet. P. Segneri Tomo 3. Meditationum.*

Leves noxas contemnere eſt opem ferre demoni nos perdere volenti.

Tua hæc agendi ratio favet illi, quam dæmon ſervat bonos perditurus. Tentator verſutus, & callidus non ſuadet illis re adhuc integra ſcelus committendum; hoc pacto illos irritaret in ſe, eique locum præberet diffidendi de technis, inſidiiſque ipſius, ut ſibi diligentius caverent. Illos igitur ad ſcopum ſuum pertrahit; per levium imperfectionum habitum, per negligentiam ſeſe corrigendi, & per habitum eaſdem contemnendi in graviora ſcelera adducit. Hæ culpæ non aliud ſunt, quam teneræ alicujus benevolentiæ ſenſus, aliquis in honore tuendo nimis æquo fervens ardor, aliqua terrenis hiſce bonis adhæſio. Ubi affectiones hujuſmodi ſemel animum pervaſerunt, dæmon audet omnia & ſperare, & experiri. Modicum autem diſcrimen illud, in quo levia habemus peccata, nonne conſiliis illius velificatur? Nonne eum liberamus cura eorum exequendorum? Ita quam in nobis ſuperandis difficultatem nanciſcetur? Nos illi arma tradidimus, antequam oppugnaremur; iiſdem utatur ſatis eſt; jam victi ſumus. *Pater Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Chriſtiano, cui ad perfectionem eſt contendendū, nulla ſunt levia peccata.

Noxæ, quæ leves nuncupantur, in ſe tamen ſatis graves eſſe non ceſſant. Leves quidem videntur, ubi cum gravioribus, nequioribuſque comparantur; verum ſi rite expendantur, nullæ earum tamquam parvæ habendæ ſunt in iis potiſſimum, quorum vita eſſe debet irreprehenſibilis, qui immaculatam, ſi fieri poteſt, vitam ſervare debent, & qui ex ſtatus ſui conditione ad perfectionem ſeſe debent attollere. An levis eſſe poteſt culpa in iis, quos Deus benevolentia ſua cumulavit; quos de mundo tamquam de naufragio abſtulit, quos peculiaribus gratiis proſecutus eſt; quibus ſexcenta præbuit ſui amoris argumenta tot aliis negata, & quibus in ſingula momenta tot ſubſidiorum, gratiarumque genera largitur; quibus denique nihil deeſt, quod illos in æternum juxta cor illius, eique acceptiſſimos reddere valeat? Sancti, qui animi grati ſenſum foverunt, ſemper magnum putarunt, quod Deo diſplicere poſſe rati ſunt. Omnes infirmitates ſuas lacrymis proſecuti ſunt, eaſque damnarunt, & neceſſitas iſta, ut ita dicam, diſplicendi Deo, donec in hac mortali carne vivimus, illis adeo intoleranda viſa eſt, ut in ſingula momenta dierum ſuorum finem concupierint. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt. Multum incola fuit anima mea. Recens Auctor.*

Pſalm. 119.

PERSEVERANTIA.

PERSEVERANTIA IN VIRTUTE, ET PIETATE, INCONSTANTIA IN BONO, &c.

MONITUM.

Quemadmodum perſeverantia in gratia, in exercitatione virtutum, & cultu Dei arctum habet nexum cum recidiva in peccatum, plerique concionatores utrumque argumentum ſimul conjungunt, & ſane difficile eſt de alterutro verba facere, quin de altero aliquid attingatur. Hoc tamen non prohibet, quominus duo fieri poſſint concionum argumenta, ſeorſim pertractanda. Hortari quippe poſſumus ad perſeverantiam in cultu Dei, oſtendendo indignitatem ab ea recedendi, ut mundana vita ducatur; atque deterrere poſſumus peccatores, ne ſe iterum iis abdant criminibus, unde Dei miſericordia illos eduxit,

Itaque hoc in loco colligemus, quidquid magis notatu dignum in hoc de perſeverantia argumento invenimus; indirecte vero de recidiva erit ſermo, quemadmodum alibi de recidiva loquemur, quin illic directe de perſeverantia verba faciamus,

Hic autem ſolum animadvertendum eſt, a nobis de perſeverantia ſermonem inſtitui, quatenus virtus eſt, quam nobis deficit gratia, non autem de perſeverantia finali, quæ donum eſt, & gratia particulari, quam nemini tribuit Deus, & quæ unice ab illius bonitate pendet, quemadmodum deinceps explicabimus.

Argumentum hoc vulgo poſt Paſcha pertractatur, videlicet ad exhortandos fideles ad gratiam per eos dies receptam ſervandam, ne relabantur in ſcelera, quorum egere pœnitentiam; quamvis quovis tempore ſummæ utilitatis non eſſe non poſſit,

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti lineamenta.

I. PRo concionis argumento deſumi poteſt hæc propoſitio, quæ veriſſima eſt, & quæ terrorem æque incutit, & affert ſolatium: Perſeverantiam in bono, atque in pietate uſque ad finem ſolam eſſe prædeſtinationis notam, in qua confidere liceat; tribus enim rebus certis innititur, quibus decipi nequaquam poſſumus. Videlicet 1. verbo, & promiſſionibus Dei, qui hoc ſolemniter pollicitus eſt: 2. conſtanti, & uniformi modo, quo ſeſe gerit Deus in ſalute juſtorum, nunquam finalis perſeverantiæ donum illis negans, qui conſtanter in Chriſtianarum virtutum exercitatione perſeveraverunt: 3. æquitati juſti hujus judicis, qui, ut Sanctus Paulus ait, defert juſtitiæ coronam illis, qui fideles eidem obſecuti ſunt. Hæc eſt totius concionis partitio.

Pars prima: oſtendendum eſt, prædeſtinationem ad gloriam perſeverantiæ in gratia, & in cultu Dei adnexam eſſe: hæc igitur certiſſima illius nota eſt: hoc explicite promiſit Deus: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*, Salvator inquit in Evangelio Matth. 10. quod pluribus aliis locis confirmatur, & quibuſdam parabolis indigitantibus: 1. Deum regnum ſuum, & cœli coronam hac conditione ſpopondiſſe: *Nemo coronabitur, niſi qui legitime certaverit*, 2. ad Timoth. Cum aliquid ſub conditione promiſſum eſt, quemadmodum jure depoſci nequit, niſi antea fuerit adimpleta conditio; jure ita depoſcitur, ubi fuerit ad unguem adimpleta. Deus igitur, qui ex mera bonitate ſua perſeverantiæ cœlum ſe daturum ſpopondit, illud negare non poteſt illis, qui conſtanter perſeveraverint. 2. Perſeverantia eſt etiam inſeparabilis conditio ab omnibus virtutibus, quibus hoc ipſum Deus pollicitus eſt, cujuſmodi ſunt octo beatitudines, fides, ſpes charitas, & quidquid nobis tribuere poteſt mortalem ſalutis certitudinem, quod nullam vim habet, & efficaciam, niſi quam his virtutibus confert perſeverantia. 3. Conditio iſta neceſſaria erat, alioquin enim homines laboribus ſuis fines aliquot circumſcripſiſſent, atque cancellos quoſdam poſuiſſent diuturnitati pietatis ſuæ, defeſſi, & fatigati pœnis, quæ a virtutis exercitatione ſeparari non poſſunt.

Pars altera. Secunda ratio, cui hæc ſalutis innitur certitudo, & modus, quem magno hoc in negotio Deus ſervat, hæc eſt, non renuendi finalis perſeverantiæ donum illis, qui conſtanter in cultu ipſius perſeverarunt. Nam quamvis hoc donum nemo mereri poſſit, magnum a Tridentino Concilio vocetur, & a mera Dei pendeat miſericordia; attamen per meritum convenientiæ cujuſdam, quæ de congruo a Theologis appellatur, poteſt obtineri. Oſtendendum eſt, quanam in re hæc poſita ſit convenientia, atque inferendum, quod ſi Deus aliquando, licet raro, hanc gratiam concedit peccatoribus, qui male vixerunt eam nunquam iis negat, qui ſibi fideliter uſque ad finem ſervierunt: ac deinde tradendum, quomodo perſeverantia virtus differt a dono finalis perſeverantiæ; atque virtutem illam non pendere tantum a gratia, verum etiam a fidelitate, qua reſpondemus eidem.

Pars tertia. Tertia ratio, quæ hanc prædeſtinationis notam præ aliis omnibus certiſſimam efficit, deſumitur ex juſtitia Dei, qui hominibus juſtam laborum mercedem non tribuit, niſi poſt vitæ finem, hoc eſt niſi poſtquam in cultu ipſius ad mortem uſque perſeveraverint. Si enim ita infelices eſſemus, poſtquam ad aliquod tempus in pietate perſeveravimus, ut momento ante mortem ipſam ab illo deficeremus, ipſe profitetur, ſe omnium præteritarum juſtitiarum, omniumque operum bonorum noſtrorum non eſſe recordaturum. Rationes, propter quas uni perſeverantiæ juſtitiæ coronam, quemadmodum ab Apoſtolo nuncupatur, reſervat, ſunt; 1. quia homo ſuapte natura eſt inconſtans, & illi, qui poſtquam incœperunt, reſpiciunt retro, apti non ſunt regno Dei: 2. quia magnitudo ejus, ſupremaque auctoritas, quam habet in nos, cum immutabilis, æternaque ſit, illi digne ſervire non poſſumus, niſi in ejus ſervitute ad finem uſque perſeveremus: 3. quia aliqua eſſe debet proportio inter ſervitutem, atque mercedem: cumque merces æterna ſit, ſi minus in æternum ſervitus permanere poteſt, ſaltem uſque ad vitæ noſtræ finem debet perſeverare.

II. 1. Inceſſanter a Deo petere debemus perſeverantiam propter noſtram infirmitatem, ignaviam, atque inconſtantiam in cultu Dei. 2. Pro virili adnitendum eſt nobis, ut eam mereamur per fidelitatem, atque diligentiam in omnibus ſtatus noſtri muneribus obeundis, non per jugem in omnibus actionibus noſtris vigilantiam. 3. Metuendum ſemper eſt nobis, ne amittamus illam, de nobis ſemper diffidendo, ſemperque nobiſmetipſis invigilando.

III. 1. Ex hac una perſeverantia fertur judicium de veritate, & ſoliditate virtutis; non autem ex primis initiis, primiſque fervoribus; quod ratio, experientia, & exempla ſatis oſtendunt. 2. Hac una meremur coronam, quam fidelibus ſervis ſuis præparavit Deus; quod facile probari poteſt teſtimonio Dei ipſius, qui hac tantum conditione illam ſpopondit.

IV. 1. Juſtis, qui ſuam ſervarunt innocentiam, vel qui illam jam amiſſam repararunt; metuendum eſt, ne in gratia perſeverent: eorum ingenium, affectiones, externi, internique inimici juſtæ ſunt hujus timoris cauſæ. 2. Pœnitentes, & qui recens converſi ſunt, non minorem habent metuendi rationem; quia pœnitentiæ difficultas, arcta via, quam amplexi ſunt, graves dæmonis tentationes, qui illos ſumma vi oppugnat, exempla, & ſocietates, omnes eos in priſtinum vitæ genus impellunt.

1. Per-

V. 1. Perſeverantia pretium tribuit omnibus virtutibus, quæ alioquin coram Deo nullius momenti ſunt, uti neque coram hominibus. 2. Sola perſeverantia ſanctos facit, eoſque diſtinguit a reprobis; utrique enim ſæpe eaſdem bonas actiones operati ſunt: ſed illi tantum ſancti, & prædeſtinati ſunt, qui perſeveraverunt. 3. Una perſeverantia jus habet ad mercedem, quam Deus fidelibus ſervis ſuis pollicitus eſt.

VI. 1. Nihil nos magis humiliare debet, & efficere, ut cum timore, ac tremore ſalutem noſtram operemur, quam noſtræ in bono perſeverantiæ incertitudo. 2. Nihil nobis majus ſolatium, majoremque in Domini bonitate, & miſericordia ſpem conferre poteſt, quam in cultu illius, mandatorumque ejus obſervantia perſeveraſſe.

VII. 1. Quam frequens eſt in Chriſtiana religione bene ordiri, tam rarum eſt uſque ad finem perſeverare.

2. Quantumvis rara, & difficilis ſit perſeverantia; hæc tamen unica res eſt, quæ certam facere poſſit ſalutem noſtram; cum reliqua omnia ſine hac, vel inutilia ſint, vel non ſufficiant.

VIII. 1. Nulla virtus Chriſtiano viro magis neceſſaria eſt, quam perſeverantia, ſine qua reliquæ nec Dei, nec hominum approbationem merentur. 2. Nulla virtus, ubi plures ſuperandi ſint obices; unde inferri poteſt, hanc potiſſimam eſſe rationem, propter quam tam pauci prædeſtinati ſunt, cum tam pauci ſint, qui perſeverent, vel ad finem uſque fideles ſint.

IX. 1. Perſeverantia in bono, & officiorum ſuorum obſervantia meritum, & Chriſtiani gloriam conſtituit, quia ſine hac ille virtute præditus, & vir bonus nequit haberi: quia perſeverantia proprius eſt character, qui veram virtutem diſtinguit. 2. Per perſeverantiam in bono Chriſtianus gloriam Dei coram hominibus procurat; quia inconſtantia fidem abrogat pietati, & dedecus affert ſupremo Domino, cui famulamur.

X. 1. Per perſeverantiam in bonis conſiliis, quæ cœpimus, ad id pervenimus, quod in Chriſtianarum virtutum praxi difficillimum eſt; earum nobis habitum facimus, recenteſque cœli gratias promeremur &c. 2. Perſeverantia facilia nobis præbet ea, quæ primo ſtatim intuitu moleſtiſſima videbantur, & quæ ne aggredi quidem audebamus.

XI. In Evangelium feriæ ſecundæ poſt Paſcha pro concionis argumento, & partitione deſumere poſſumus 1. neceſſitatem perſeverandi in vita nova, quam per hos Paſchatis dies recepimus, & quam Dei Filius per reſurrectionem ſuam nobis promeritus eſt. Ad id nos cogit primum accepti beneficii præſtantia, hoc eſt, gratia ſanctificans, quæ efficit, ut vitam prorſus ſanctam, divinamque vivamus, & quæ proculdubio meretur, ut eam omni, qua fieri poteſt, cura tueamur. Secundo quia hæc conſervatio, & perſeverantia inevitabilis eſt conditio ad glorioſam reſurrectionem promerendam. Tertio, quia perſeverantia hæc certiſſimum eſt indicium, quod gratiam hanc, atque ſupernaturalem vitam recepimus.

2. Media ad perſeverandum in gratia, & divinam hanc vitam ſervandam ea ſunt, quæ ex hodierno diſcimus Evangelio, & quibus Diſcipuli, qui in Emmaus ibant, utebantur. Primum eſt, ſæpe Dei verbum audire: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Luc. 24. Sed hoc præſenti tempore negligere incipimus. Alterum eſt uſus Euchariſtici Sacramenti: *Cognoverunt Deum in fractione panis.* Tertium eſt fuga occaſionum, quæ nos iterum primis ſceleribus immergere poſſent: *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Jeruſalem. Ex auctore ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Quadrageſima, ſermone pro feria 2. poſt Paſcha.*

XII. Sermo pro eodem die in duo puncta diviſus: 1. dico, myſterium Jeſu Chriſti reſuſcitati nos omnibus modis ad perſeverantiam in bono inducere: 2. addo, noſtram in bono perſeverantiam certiſſimum eſſe pignus, & indicium, per quod nobiſmet promittere poſſumus futurum, ut participes efficiamur gloriæ Jeſu Chriſti reſuſcitati.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus librum edidit *de dono perſeverantiæ*, ubi oſtendit primum, neminem in Jeſu Chriſto perſeverare poſſe, niſi uſque in finem perſeveraverit.

Idem, vel auctor ſermonum *ad fratres in Eremo*, fuſe loquitur de perſeverantia, ad quam fratres hortatur.

Sanctus Gregorius *lib. 1. moral. cap. 2.* in hæc verba Job; *Sic faciebat Job cunctis diebus vitæ ſuæ*, oſtendit, inutile eſſe operari bonum; niſi in eo perſeveraverimus.

Sanctus Hieronymus *Epiſt. 28. ad Lucin.* eum ad conſtantiam hortatur, ne ab ea recedat via, quam hactenus ſecutus eſt.

Idem *lib. 1. in Epiſt. Pauli ad Galat.* oſtendit, non ſatis eſſe bene incipere, niſi in finem uſque perſerveretur.

Sanctus Ambroſius *in Hexam. lib. 4. cap. 8.* comparat hominem in Dei cultu inconſtantem cum luna, duobus diebus in ſtatu eodem non permanente.

Idem *exhort. ad Virgin.* ad perſeverantiam hortatur.

Sanctus Cyprianus lib. 1. Epiſt. Epiſt. 5. validam, & eloquentem facit exhortationem ad perſeverantiam.

Sanctus Chryſoſtomus *Hom. 13. in Epiſt. ad Corinth.* hæc explicans verba, *uſque in hac horam, & eſurimus, & ſitimus* &c. oſtendit, quænam eſſe debeat Chriſtiani perſeverantia.

Idem *Hom. 23. in cap. 9. ejuſdem Epiſt.* docet perſeverandum exemplo eorum, qui in ſtadio referunt palmam.

Sanctus Bernardus, *tract. de Paſſione Domini, cap. 3. ſuper hac verba: Conſummatum eſt:* amplum habet de neceſſitate perſeverantiæ uſque in finem ſermonem.

Idem *Epiſt. 129. ad Januenſes* hoc ipſum perſequitur argumentum.

Pater Ludovicus Granatenſis tractatu de oratione cap. 1. §. 10. Aſcetici aliique.

Idem in memoriali cap. 6. §. 4.

Rodriguez lib. 1. tract. 1. cap. 16. ubi loquitur de perſeverantia in virtute, ejuſque acquirendæ mediis.

P. a Ponte in Duce ſpirituali cap. 18. ubi tradit modos ſuperandi inconſtantiam.

P. Antonius a Sancto Martino a Porta in poſtrema libri parte, cui titulus: *Les conduites de la grace*, agit de neceſſitate perſeverandi omni tempore in cultu Dei.

Euſebius Nierembergius *lib. de Adorat. in Spirit. & verit. lib. 3. cap. 7.*

Idem in doctrinis aſceticis *lib. 2. cap. 4.*

Bellarminus de ſeptem verbis Domini Jeſu in Cruce cap. 18.

P. Dozenne, libro cui titulus: Moralis Jeſu Chriſti, unum habet caput de perſeverantia.

Hieronymus Platus *lib. 3. de bono ſtatus religioſi c. 32.* animat eos, qui metuunt, ne in religioſa vita poſſint perſeverare.

P. Chahu in ſecreto prædeſtinationis art. 4. ſect. 4.

Theophilus Bernardinus lib. *de perſeverantiæ præſidiis.*

Petrus Sanchez *In regno Dei part. 7. cap. 9.*

Concionatores, qui hoc pertractarunt argumentum, hi fere ſunt. Concionatores.

P. Bourdalove ſermone pro feria 2. poſt Paſcha.

P. Texier, ſermone pro Dominica *Quaſi modo.*

P. Duneau ſermone pro feria quinta poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.

Joly propoſitione pro Dominic. prima poſt Paſcha.

Auctor ſermonum Chriſtianorum, ſermone pro feria ſecunda poſt Paſcha.

Inter ſermones morales unum hujus argumenti reperies.

Specimen ſermonum pro feria ſecunda Paſchæ, argumento quarto.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Quadrageſima pro feria 2. Paſchæ.

Idem in ſermonibus particularibus tomo quarto, ſermonem habet de bonis conſiliis ſuſceptis.

Engelgrave Dominica 3. poſt Pentecoſten.

Stapleton in *Promptuario morali Domin. 2. poſt Epiph. puncto 5.*

Idem *in Domin. Quinquageſimæ puncto 3.*

Idem Domin. in 6. poſt Pentecoſt. punct. 2. & Dominica 13. punct. 9.

P. Ludovicus Granatenſis in locis communibus. Qui collectanea ediderũt.

Peraldus tom. 1. part. 8. *de Perſeverantia.*

Drexellius de *Roſis Mar.* part. 1. cap. 12. §. 1.

Buſæus *in Panario* Titulo *Inconſtantia.*

Idem in *Paradiſo animæ*, qui eſt ad calcem *Viridarii.*

Labatha. Titulo *Perſeverantia.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic loco.

DOnec deficiam, non recedam ab innocentia mea; juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram. Jobi 27.

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Pſalm. 17.

Vä

Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas, Eccl. 2.

Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Eccl. 5.

Vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. Tob. 2.

Quomodo cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? Iſaiæ 14.

Eſto firmus in via Domini. Eccl. 5.

Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem. Habacuc 2.

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Matth. 10.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Luc. 9.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum. Luc. 22.

Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam. Joann. 17.

Manete in dilectione mea; ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea. Joann. 15.

Tu in fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Ad Roman. cap. 11.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. 1. ad Corinth. 10.

Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. 1. ad Corinth. 15.

Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ad Galat. 6.

Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. 1. ad Corinth. 7.

Fratres nolite deficere benefacientes. 2. ad Theſſalon. 3.

Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? Ad Galat. 3.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex, 2. ad Timoth. 4.

Cupimus unumquemque veſtrum eamdem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem. Ad Hebr. 6.

Non coronatur, niſi qui legitime certaverit. 2. ad Timoth. 2.

In diſciplina perſeverare. Ad Hebr. 12.

Ne fatigemini animis veſtris deficientes. Idem.

Videte voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis. 2. Joann.

Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione. Act. 1.

Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Jacobi 1.

Sydera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. Epiſt. Judæ.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apocal. 2.

Exempla Veteris, Novique Teſtamenti.

Quid Moyſes antequã moreretur dixerit capitibus Tribuum Iſrael.

TRigeſimo primo Deuteronimii capite legimus, Moyſem morti proximum congregaſſe capita Tribuum Iſrael hortaturus illos, ut in Domini cultu perſeverarent. Deo fideliter ſervite, ait illis, quocumque id vobis ſtatutum ſit pretio, & numquam ab illo recedite. Non deerunt vobis inimici, ſed macti hac animi virtute eſtote, atque omnia vobis e voto contingent: infideles populi vos ad cultum idolorum conabuntur transferre, ſed fidem veſtram ſervate. Hæc ipſa vobis quoque, o Chriſtiani, dicere poſſum: eſtote viri, & ſi Domini gratia recepiſtis, omnes contendite nervos, ut in ea perſeveretis. Eheu! Quantam in hoc gloriam, quantam invenietis felicitatem! quam glorioſa, & utilis vobis hæc erit perſeverantia! Sed quomodo vos perſeverabitis? Scio equidem, perſeverantiam hanc a Deo pendere, & ſingula momenta deficeretis, ſcio, niſi ille vos ſuſtineret. Verum ſcio quoque, perſeverantiam hanc perdere a quibuſdam conditionibus, quas a vobis jubet obſervari.

Exemplum Saul, cui defuit perſeverantia.

Saul, ille a Deo princeps electus, ipſe, & filii ſui de regni ſolio deturbati fuerunt, eo quod illi defuit perſeverantia. Præceperat eidem Samuel, ut ſeptem dies ipſum præſtolaretur; eique promiſerat, ſe intra hoc tempus venturum, ut cum ipſo ſacrificium Domino offerret. Expectavit Saul uſque ad Veſperam diei ſeptimæ; ſed videns, Prophetam non adeſſe, & alioquin ab hoſtibus ſe urgeri ſentiens, iniit conſilium per ſe victimam immolandi contra id, quod Dei verbis Samuel præſcripſerat. Non latet, quomodo Propheta illum increpuerit, & quam pœnam de eodem divinitus ſumptum iri portenderit. Niſi crimen hoc commiſiſſes, Dominus confirmaſſet thronum tuum in æternum in Iſrael. Sed in peccati tui pœnam regni coronam amittes. Mira infelicitas! Sex jam effluxerant dies, & ſeptimi exigua ſupererat particula: ſed veritus, ne Philiſthiim in ipſum irruerent, & deſperans alioquin ea die Prophetam adfuturum turbatur, angitur, feſtinanter offert ſacrificium tunc, cum una vix ſupererat hora ad expectandum, & cum, ſi adhuc aliquantiſper diſtuliſſet, facile coronam in æternum in ſua familia ſervaſſet. Ita per impatientiam temporale regnum amiſit, atque per obdurationem ſuam meritus eſt, ut æterni regni aditu prohiberetur. Ex hoc proficiamus exemplo, neque fatigemur unquam Dei mandatis obtemperantes.

Perſeverantia ſancti Patriarchæ Noe.

Perſeverantia Noe in Scripturis duplici ex cauſa celebris eſt. Prima eſt, quia fidelis adhæſit Deo, ſeque ipſum in innocentia, atque integritate vitæ ſanctæ pluribus continuit ſæculis inter generalem totius mundi corruptionem. Hac de cauſa, ſacer Textus ait: invenit gratiam in oculis Domini; & quemadmodum particeps non fuit ſcelerum, quibus alii ævo ſuo erant fœdati, ita illum Deus univerſali cataclyſmo noluit involvi. Alterum, in quo ejus enituit perſeverantia, fuit Arcæ ædificatio, in qua centum integros conſumpſit annos. Quicumque illam extrui viderunt, conſtanti hoc, intentoque labore nequaquam commoti ſunt, & fortaſſe in ludibrium verterunt monita, ac minas ſancti hujus viri, atque cachinnis exceperunt ejus præcautiones contra periculum, quod incertum erat, & longe aberat. Hoc autem conſtat, his non obſtantibus eos in flagitiis ſuis permanſiſſe, donec Patriarcha conſtanti, & non intermiſſa cura ſuo vacabat operi. Itaque unus ille cum familia ſua ejuſdem laboris fructum percepit, & nemo ex illis, qui arcam ædificari conſpexerunt, vel qui eidem ædificande operam locarunt, ullam inde utilitatem percipere valuerunt.

Quid exemplum uxoris Loth docere non debeat.

Mulier hæc per levitatem ſexus ſui propriam oblita imperii, quo Angeli Dei præceperant illi, ne retro reſpiceret, & exiſtimans curioſitatem hanc eminus proſpiciendi urbem conflagrantem vitæ pretio non eſſe redimendam, audienſque ſtridorem, impetumque flammarum permixtum clamoribus eorum, qui viventes adhuc aſſumebantur, retro ſeſe convertit luctuoſum illud ſpectaculum intuitura. Sed illuc proſpiciens ipſa facta eſt terroris ſpectaculum; illico enim immutata fuit in ſtatuam ſalis, quæ fuit veluti monumentum æternum, quo docerentur homines, ne ad ea, quæ relicta ſunt, revertentur; & ne cogitatione, vel deſiderio ad eum locum redirent; in quo intereundi periculum ſubierunt. Quamobrem ipſe Dei filius præcipit, ut uxoris Loth meminerimus. Voluit, ſicut ſæpe Sanctus Auguſtinus inquit, nos hoc ſale (abſit verbo invidia) condiri; & eos, qui mundum reliquerunt, ut Jeſum Chriſtum ſequerentur, juſſit numquam retro ſuum caput convertere ad reſumendum uſum voluptatum, & ſolatiorum, quæ ab ipſis relicta fuere. *In vita poſita.* (Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 75. inquit) retrorſum *reſpexit; ubi reſpexit, ibi remanſit; facta eſt ſtatua ſalis, ut illius contemplatione condiantur homines ne retro reſpiciant, &c.*

Judith increpat ſummum Sacerdotem Bethuliæ deditionem facere meditantem.

Cum Bethulia ab Aſſyriis arcta premeretur obſidione, coacto militari concilio de deditione facienda agebatur, niſi intra quintum diem aliquod non mediocre ſubſidium adventaret. Judith Dei numine afflata, qui eadem uti ad urbem obſidione liberandam decreverat, convenit ſummum Sacerdotem, ut merito illi exprobraret ignaviam. Quid ergo? hoccine conſilium eſt eo viro dignum, qui aris miniſtrat? Quis tu, qui miſericordiæ Domini tempus audeas circumſcribere? *Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini.* Judith. 8. Numquid tuum eſt quinque adhuc præſcribere dies, præcipere, quid illi faciendum ſit, eique dicere, adhuc tantum temporis ſpatium præſtolabimur, non ultra? Conſilium, quod cepiſti, ratio eſt iram potius Dei, quam ſubſidium promerendi: *Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potius qui iram excitet.* Hoc ipſum hodierna quoque die hominum plerique facere conſueverunt; Deo tempus præfiniunt, intra cujus ſpatium opem ejus obtineant, quin conſtanter expectantes perſeverent, & numquam de illius miſericordia deſperent.

Exemplũ Prophetæ miſſi ad Jeroboam.

Quis dicendo explicare poſſet omnes artes, quibus utitur dæmon, ut illis, quos in bona via incedere conſpicit, perſeverantiam eripiat! Hoc nos docet funeſta illius Prophetæ hiſtoria, quem Deus ad Jeroboam miſerat, & cui præceperat, ut incœnatus reverteretur. Primum dæmon ſuadet Jeroboamo, ut Prophetam licet invitum retineat: ſed areſcente manu principis, qui apprehenderat, illum ex hoc periculo effugit. Illum rex deinde largis promiſſionibus, opulentiſque muneribus delinire conatur, ſed eum irridet Propheta, eique reſpondet, etiamſi dimidium regni ſibi daretur, ſe numquam apud eum permanſurum contra Domini imperium. Denique dæmoni occurrit ſtratagema, quod non caruit effectu. Cum enim vir Dei reverteretur, & labore ſimul, ac fame fatigatus ſub arbore requieſceret, Sathanas miſit ad eum Pſeudoprophetam, qui ſimulans ſe oppoſitum divinitus imperium accepiſſe, domum ſuam adducit, eumque inſtructis dapibus reficit. Ita ille, qui primum vi reſtiterat, regiſque dona contempſerat, tandem inimici fraude ſuperatur; ejuſque calamitas inde proceſſit, quod importune remoratus eſt. Etenim ſtatim ac rurſus iter corripuit, Leo irruit in eum, ſuffocatumque in arena mortuum reliquit.

Sancti viri Job perſeverantia.

In Scripturis plurima habemus generoſæ perſeverantiæ exempla ſeu in cultu Deo fideliſſime præſtito, ſeu in magno aliquo facinore pro ejuſdem gloria ſuſcepto. Primum, & celeberrimum, quod ſeſe nobis offerat, eſt Sanctus Job, qui vere nuncupari poteſt exemplar perſeverantiæ. Omnia illum impellere videbantur, ut a Domini cultu deficeret, & mala, quæ patiebatur, totidem erant ictus, quibus concuti poterat. Uxor quoque illi adverſata eum exprobrabat, quod hactenus in ſimplicitate ſua, hoc eſt juxta Hebraicæ vocis vim in innocentia ſua perſeveraret: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Job 2. Sed ſanctus ille vir ſemper perſeveravit, atque per hoc ipſum ſeſe in voluntate permanendi fidelem confirmans dicebat: *donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, juſtificationem meam, quam cœpi tenere non deſeram.* Job 27.

Exemplũ Tobiæ.

Quodcumque elogio Tobiæ perſeverantiam celebremus, hoc non poterit æquare illud, quod ſacer Textus his verbis illum commendat: Tobias, cum ſemper Dominum ab infantia timuiſſet, omniaque illius præcepta ſervaſſet, non contriſtatus eſt, neque murmuravit contra Dominum, eo quod ipſum cœcitate percuſſiſſet; ſed permanſit conſtans, & immobilis in timore Domini gratias agens Deo omnibus diebus vitæ ſuæ; cumque cognati, & affines ejus illius vivendi rationem irriderent, dicentes: ubi eſt ſpes tua, pro qua tot eleemoſynas erogabas, & ſepeliebas mortuos? Tobias leniter corripiebat eos, eiſque dicebat: ne ita loquamini; filii enim ſanctorum ſumus, eamque expectamus vitam, quam Deus daturus eſt illis, qui fidelitatem, quam eidem polliciti ſunt, numquam infringunt.

Exemplũ filii Dei.

Satis eſt oculos in Deum carnem factum conjicere, ut in eo perfectum perſeverantiæ intueamur exemplar; ut enim hominibus concuſſæ præberet exemplum conſtantiæ,glorioſe ſuſcepit, abſolvitque moleſtum noſtræ redemptionis opus pluſquam humana fortitudine trium ac triginta annorum ſpatio perpeſſus labores, dolores, inauditaſque oppoſitiones, quin dolorum magnitudo, aut diuturnitas illum ab incœpto deterrerent; ita ut vere Patri ſuo dicere potuerit pridie quam pateretur: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*, Joann. 17. & in Cruce poſitus, *Conſummatum eſt*. Nihil enim vel generatim, vel particulariter eorum omiſerat, quæ ſibi a Patre fuerant imperata. Immo, ut conſtantia ſua melius eniteſceret, dæmoni permiſerat, ut Scribarum, Phariſæorum, & Sacerdotum opera ipſum tentaret affirmantium futurum, ut ipſi crederent in illum, ſi de Cruce deſcendiſſet. Sed noluit deſcendere, ac imperfectum noſtræ redemptionis opus relinquere; quia voluit illuſtre perſeverantiæ exemplum relinquere illis omnibus, qui poſt mortem ipſius in illum erant vere credituri, ac facto probare, quod prædicaverat, neminem ſalvum factum iri, niſi qui ad finem uſque perſeveraret.

Alia Novi Teſtamenti exempla.

Inutile eſſet latius differere de aliis perſeverantiæ exemplis, quæ nobis ſuppetunt in Evangelio. Mulier Chananæa exemplo eſſe poteſt perſeverantiæ in oratione. Ea populi multitudo, quæ Dei filium ſecuta eſt in deſerto, & quæ triduo jejuna permanſit, perſeverantia ſua Dominum ad miſericordiam flectere potuit, qui in gratiam illius mirabile illud operatus eſt prodigium, quo panes multiplicavit. Perſeverantia, qua in Cœnaculo Apoſtoli preces fuderunt, ubi congregati erant poſt Domini aſcenſionem, promeruit Spiritum Sanctum, qui viſibili ſpecie in ipſos deſcendit. Sancti Petri pœnitentia, poſtquam Salvatorem ſuum negaverat, ad exitum uſque vitæ producta fuit; & Sanctus Paulus ſperat, judicem juſtum, cui fideliter ad finem uſque famulatus eſt, corona gloriæ perſeverantia ſuam eſſe remuneraturum: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*, &c. ad Timoth. 4.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Perſeverantia in bono donũ Dei eſt, non ſecus ac prædeſtinatio.

M*Iſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum.* Pſalm. 102. Quid ſibi vult Pſalmiſta per hæc verba, niſi Deum per miſericordiam ſuam nos ab æterno prævertere, atque uſque in æternum concomitari per gloriam, qua eos, qui perſeverant, coronat? Prior æternitas nullum habuit initium, altera vero nullum eſt finem habitura; atque ita abyſſus alteram ſuper nos inducit abyſſum. Tandem enim, Sanctus Bernardus ait, hominis perſeverantia æque, ac prædeſtinatio eſt gratia Dei eo magis pretioſa, quo certius eam incomprehenſibilis gloria ſubſequitur.

Dei filius non vult de Cruce deſcendere, ut nobis tribuat exemplũ perſeverantiæ.

Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei. Matth. 27. Nequicquam Judæi circa Crucem clamabant: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Haud ita, Sanctus Bernardus ait; cum vere ſit Rex Iſrael, non debet id relinquere, quod illi jus præbet ad regnum. Non vult, hic Pater addit, nobis occaſionem præbere amittendæ perſeverantiæ. Non vult concionatoribus auferre argumentum, quo conſolari, & confirmare poſſint infirmas animas dicentes illis: ne egrediamini ex ea ſtatione, in qua vos Deus conſtituit. Inde enim proculdubio egrederetur, ſi reſpondere poſſent, Salvatorem commune noſtrum exemplar & ipſum ſuam reliquiſſe. Voluit igitur Jeſus ad mortem uſque permanere in Cruce, ut ſuum opus perficeret, nobiſque admirabile præberet invictiſſimæ conſtantiæ exemplum. Eo in loco, eaque in occupatione, quæ placet, morari facile eſt: ſed in labore, atque tribulatione voluptatem invenire hoc perrarum, & difficillimum eſt, atque conſummatam poſtulat virtutem.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Apocalypſ. 2. Cum Domini templum æternum ſit, columnæ, quibus fulcitur, hoc eſt Sancti, qui beatam illam ſedem ingredientur; hæ inquam columnæ, juxta Sancti Spiritus verba, æternæ ſunt, & quemadmodum firmæ, & conſtantes fuerunt in terra, ita in cœlo quoque erunt inconcuſſæ.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

U*Nde eſſet magnum perſeverare, niſi inter moleſtias, tentationes, & ſcandala eſſet perſeverandum?* Aug. Serm. ſuper Pſalm. 51.

Non eſt magnum inchoare quod bonum eſt, ſed conſummare, hoc ſolum perfectum eſt. Idem.

Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis & perſeverantia. Paulus male cœpit, ſed bene finivit; Judæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur. Hieronym. contra Juvinianum, & in Epiſt. ad Furiam.

Non enim cœpiſſe, ſed permanſiſſe virtutis eſt. Idem, Epiſt. ad Vital.

Non tam initia ſunt in bonis ſtudiis laudanda, quam finis. Idem, in Epiſt. Pauli de Galat.

Cœpiſſe multorum eſt, ad culmen perveniſſe paucorum. Hieronym.

Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur; quia fruſtra velociter currit, qui prius quam ad metas venerit, deficit. Greg. lib. 1. Moral.

Bonam vitam ego puto, mala pati, & bona facere, & ſic perſeverare uſque ad mortem. Bernard. Serm. 2. in SS. Petri & Pauli.

Abſque perſeverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur; vigor virium virtutum conſummatio eſt. Idem, Epiſt. 129.

Scias diabolum ſoli perſeverantiæ invidere, quam ſolam novit a Domino coronari. Idem ibidem.

Quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Idem, Epiſt. 252 ad Guarinum Abbatem.

Nullum ſunt inſumptæ ſemel operæ pretium relaturi, qui non ad legitimum uſque finem ejus, quem ſcopum ſibi præſtiterunt, ſtudio propenſiore contenderint. Baſil. Epiſt. ad Chilonem diſcipulum.

Spes omnes noſtræ in conſummatione atque fine conſiſtunt. Quid mihi prodeſt, ſi ſata viridantia herbis ſpem meſſis oſtenderint, & me ſub ipſo falcis tempore ſubita vel aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant? Euſeb. Emiſſ. Homil. 5. ad Monach.

Omnes quidem virtutes currunt, ſed una perſeverantia coronatur. Petrus Bleſenſis, Epiſt. 22.

Aliæ virtutes coronam merentur, ſed ſola perſeverantia coronatur. Sanctus Bonaventura Diætæ cap. 2.

 Non

Non eſt beatus qui bonum facit, ſed qui inceſſabiliter facit. Iſidor. Hiſpal. 2. de Synonym.

Tentatio accidit, perſevera uſque in finem; quia tentatio non perſeverat uſque in finem. Aug. Tract. 45. in Joann.

Aſſerimus donum Dei eſſe perſeverantiam, qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto. Idem de bono perſev. cap. 1.

In ipſa oratione Dominica quando oratur a ſanctis, nihil pene aliud quam perſeverantia poſci intelligitur. Idem, de bono perſev. c. 2.

Te, Domine, nemo amittit, niſi qui dimittit. Idem lib. 4. Confeſſ. c. 9.

Mutatur quiſque morum varietate, & fit alter, in quo non cognoſcitur quod fuit, & incipit, eſſe quod non fuit, ſui degener, grave autem eſt in pejus mutari. Ambroſ. Epiſt. 1.

In ſtadio terreſtri, unus qui prior venerit, coronatur; in cœleſti vero ſtadio quiſquis pervenerit, coronam promeretur. Chryſoſt. Homil. de fide, ſpe, & charitate.

Hortamur vos, per communem fidem, ut gloriam noſtram, forti & perſeveranti virtute teneatis; adhuc in ſæculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, de vita noſtra quotidie dimicamus. Cypr. lib. 1. Epiſt. 1.

Maximum indicium malæ mentis fluctuatio; hoc ergo a te exige, ut qualem inſtitueris præſtare te, talem uſque ad vitam ſerves. Seneca, Epiſt. 120.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi poſſit.

Perſeverantiæ definitio, & quid ſciendũ, ut perſpicua habeatur notio hujus virtutis.

PErſeverantia ſpecialis eſt virtus, per quam generoſe diuturnitatem malorum eorum ſuſtinemus, quæ in bonis operibus occurrunt, vel per quam aliquis in aliquo perdifficili labore ad vitæ finem uſque perſiſtit. Hæc eſt S. Thomæ 2. 2. quæſt. 137. art. 2. definitio, cui adhærendum eſt, tamquam probatiſſimæ, & a qua Sanctorum Auguſtini, Baſilii, Hieronymi, & Bernardi definitiones non abludunt. Virtus eſt, ideoque habitus permanens, qui exigit, ut non ſolum uſque ad cujuslibet boni operis finem, verum etiam ut ad finem uſque vitæ perſeveremus. Hæc particularis eſt virtus, ſanctus idem Doctor ait, particularem enim habet difficultatem ſuperandam, videlicet temporis diuturnitatem, quo ad vitæ uſque finem in boni perquiſitione, & bonorum operum exercitatione retinere nos debet. Quia diuturnum hoc, moleſtumque ſtadium ſatis magni momenti eſt, ut peculiarem habere mereatur virtutem, quæ illud dirigat, & moderetur. Additur ad laborem ſuſtinendum, ac ſuperandam difficultatem, quæ oritur ex diuturnitate moleſtiæ, quæ ab exercitatione virtutis ſeparari non poteſt; qua in re differt a conſtantia, quæ conſiſtit in ſuperandis difficultatibus, quæ aliunde oriuntur, quam ex moleſtiæ hujus diuturnitate. His tamen virtutibus hoc eſt commune, quod fortitudini ſubjectæ ſunt. Conditio ad finem uſque perſeverandi ſupponit non deeſſe perſeverantiam, cui ſatis eſt non deſiſtere ab actu virtutis ſuſcepto, niſi illum perfecerit, & adimpleverit; ſed præterea alteram quoque eſſe perſeverantiam, quæ poſtulat, ut ad vitæ uſque finem perſeveretur. Quibus addendum eſt, quamquam hæc perſeverantia virtus ſit ſpecialis, hanc tamen extendi ad omnes virtutes, quarum actus longioris, ſunt durationis; veluti perſeverare toto vitæ ſpatio in paupertate, obedientia, fide, omnibuſque virtutibus.

Explicatio eorum omniũ, quæ ad perſeverantiã pertinent.

Ut nihil hoc in argumento confundatur, ſupponendum eſt, perſeverantiæ nomen triplici in ſignificatione poſſe uſurpari.

Prima eſt, cum Dei donum ſignificat, per quod uſque ad vitæ finem in gratia illius perſeveratur: donum, quod Tridentina Synodus magnum appellat: *Magnum illud perſeverantiæ donum.* Donum ſaluti adeo neceſſarium, ut ſine eo nulla ſit ſalus. Donum, quod Deus illis, quibus vult, elargitur, & quod iis tantum negat, qui ſeipſos illo præbent indignos. Donum, quod impetrare poſſumus humiliter petendo, ſed quod numquam mereri poſſumus per meritum de condigno, quemadmodum docet Sanctus Auguſtinus in libro, quem de hoc argumento conſcripſit. Donum, quod certi non ſumus habere, quia non habetur in æternum, niſi cum vivere ceſſamus. Donum tandem, quod incertitudine ſua nos continere debet in profunda humilitate, ac divinæ miſericordiæ ſubmiſſione, & efficere, ut cum timore, ac tremore ſalutem noſtram operemur; at de perſeverantia hoc in ſenſu deſumpta iſtic nequaquam loquimur.

Secundo loco, perſeverantia deſumi poteſt pro firma, conſtantique voluntate perſeverandi in bono, & hoc in ſenſu virtutibus omnibus communis eſt; etenim ne una quidem eſt, quæ conſtanter objecto ſuo non adhæreat, & quæ nobis non ingerat conſtantem voluntatem illius qualibet in occaſione amplectendi. Qui humilis eſt, ſemper vult humilis eſſe ob ſolam humilitatis cauſam; alioquin ſi ad aliquod dumtaxat tempus humilis eſſe vellet, vere humilis non eſſet. Hoc ipſum dicendum eſt de virtutibus omnibus, quæ ſunt perſeverantes, quoad voluntatem perſeverandi. Hoc pacto Juriſconſulti juſtitiam definire conſueverunt, conſtantem videlicet, perpetuamque voluntatem reddendi unicuique, quod ſuum eſt. Non ideo tamen dicendum eſt, ad hoc ut hodie juſtus ſis, te juſtum eſſe debere toto vitæ tempore; ſed neceſſe eſt hanc actualem, aut habitualem habere voluntatem numquam a juſtitia recedendi, quod virtutum omnium eſt proprium. Cavendum eſt tamen, ne lapſus fiat in hæreticorum errorem, qui opinati ſunt, eum, qui ſemel charitatem habuerit, eam amittere nequaquam poſſe, quod de fide etiam docent; ſed nihil hoc magis fingi poteſt oppoſitum Scripturæ, rationi, experientiæ, nihilque magis Prophetarum, & ipſius Jeſu Chriſti doctrinæ contrarium.

Denique perſeverantia virtus eſt particularis propter rationes, quas ex D. Thoma attulimus, hoc eſt, habitus, qui ſuperat eas difficultates, quæ in boni perquiſitione inveniuntur. Illic particularis virtus eſt admittenda, ubi vel bonum eſt particulare, vel particularis difficultas. In qualibet autem virtute duo conſiderari poſſunt genera difficultatum; altera quæ procedit ex objecto, exempli gratia, ſeſe humiliare difficile eſt, ideoque humilitatis virtus admittitur: altera, quæ in virtutis exercitatione difficultas occurrit, ex diuturnitate procedit; difficile enim eſt diu perſiſtere in exercitatione ejus rei, quæ eſt honeſta, propter laborem, qui illic adeſt, & quod homo ſuopte ingenio fatigatur uni, eidemque rei ſemper intentus, præcipue vero cum ſemetipſum debet ſuperare. Quamobrem particularis requiritur virtus, ut in hac praxi perſeveretur; eaque perſeverantia vocatur, quæ ab eodem D. Thoma 2. 2. quæſt. 28. art. 2. ita definitur: *Perſeverantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio.*

Tres veritates, quæ ex dictis hauriri poſſunt.

Ex hac definitione, & ex iis, quæ docet Div. Thomas de perſeverantia, tres hæ hauriri poſſunt veritates. Prima eſt, hanc eſſe virtutem, quæ in aliis omnibus continetur quoad materiam, quia nullam habet propriam, ſed univerſe amplectitur omne illud bonum, quod aliæ inter ſe partiuntur, illis addens dumtaxat curam prohibendi, ne quis illud faſtidiat, vel ejuſdem tædio afficiatur. Altera eſt, perſeverantiam numquam ab aliis virtutibus ſeorſim exerceri poſſe, ſed cum aliqua earum eſſe conjunctam. Tertia eſt, ſine illa nihil perfectum eſſe, completumque; etenim ſine illa bonorum operum exercitatione defeſſi deſiſteremus.

Comparatio trium perſeverantiæ ſpecierum, quas attulimus.

Tria perſeverantiæ genera, quorum meminimus, ſimul comparari poſſunt, ut, quid diſcriminis intercedit, melius intelligamus. Illa, quæ efficit, ut in Dei gratia vivamus, proprie virtus non eſt, ſed donum Dei, per quod nos ad ſe vocat, cum ſumus in gratia; & fieri poteſt, ut qui totum vitæ ſuæ ſpatium in ſcelere duxit, ſtatim poſt elicitum contritionis actum moriatur: hoc in caſu habet ille perſeverantiæ donum, quamvis numquam perſeverantiæ virtutem habuerit. E contra accidere poteſt, qui diu vivens hanc exercuit virtutem, ſub exitum vitæ mortale peccatum committat, atque in hoc ſtatu ſine perſeverantiæ dono moriatur. 2. Si accipiatur pro ſtabili certaque voluntate in bono ad finem uſque perſeverandi, nulla virtus eſt ſine hac voluntate; quælibet in propria materia. Hoc in ſenſu tot ſunt perſeverantiæ, quot virtutes, quæ exigunt, ut in bono perſeverare velimus, quod ſibi pro fine proponunt. 3. Denique ſi ſumatur pro habitu ſpeciali ſuperante difficultates, quæ procedunt ex tædio, quod bonorum operum diuturnitas, atque laboris continuatio producit: & hæc proprie virtus eſt perſeverantiæ, de qua loquimur, & verum ſtudii hominis chriſtiani argumentum.

Quid doceat Tridentina Synodus de perſeverãtia.

Synodus hæc duo docet notatu digna in hoc argumento. 1. Quod attinet ad finalem perſeverantiam neminem ſine particulari revelatione promittere ſibi poſſe abſolutam eximii hujus doni certitudinem, quod magnus eſt divinæ effectus miſericordiæ. 2. Rem ſummæ conſolationis plenam. Omnibus, eadem Synodus inquit, firme ſpes habenda eſt in Dei auxilio, hoc numquam nobis defuturum, niſi ipſi defuerimus gratiæ. Qui incœpit in nobis, perficiet opus ſuum, cumque nobis voluntatem contulerit, conferet etiam poteſtatem, niſi aliquem ipſi obicem oppoſuerimus. *Deus enim non deficiet, niſi ipſi illius gratiæ defecerimus; ſicut cœpit bonum, ita & perficiet operans, velle, & perficere.*

Quid doceat S. Auguſtinus in hoc argumento.

Reprobi, Sanctus Auguſtinus inquit, legitime conqueri non poterunt, nec dicere, cur reprobati ſumus; quandoquidem perſeverantiæ donum nobis collatum non fuit: *Non ſe excuſabunt dicentes, quare damnamur, qui perſeverantiam non accepimus?* Illis enim reddetur: Miſeri! perſeveraſſetis in doctrina, quam docti fueratis, & quam eratis amplexi, id ſi voluiſſetis: *Dicetur tibi, o homo! in eo quod audieras, & tenueras, perſeverares, ſi velles.* Cum adduxit Deus animam in ſtatum juſtitiæ, numquam deſerit eam, niſi prior ab ea deſeratur. *Ipſe enim Deus, cum ad juſtitiam deduxerit, non deſerit, niſi deſeratur.* De divina voluntate numquam nobis dubitandum eſt; hæc optima ſemper erit: ſed nobis de noſtra ſemper diffidendum eſt.

Gradus hujus virtutis perſeverantiæ.

Ex D. Thomæ ſententia 2. 2. quæſt. 137. art. 1. ad 2. plures ſunt in hac virtute gradus; quia 1. quilibet conari debet, ut perſeveret in bonis operibus, quæ incepit: & non minorem habeat zelum, ut illa perficiat, quam habuit, ut eadem incipiat. 2. Maneat, opus eſt, eo in ſtatu, ac munere, ad quod illum Providentia evocavit, quin unquam per libidinem, atque licentiam illinc egrediatur. 3. Quod autem potiſſimum ſummo conatu faciendum eſt, perſeverare debet in gratia uſque ad mortem; ita ut ſi forte in aliquod peccatum inciderit, quam primum inde reſurgat, ac pergat majori, quam antea, fervore in cœli via ambulare.

Ratio, quæ ineſt inter perſeverantiã virtutem, & perſeverantiã finalem.

Tandem vero, dici poſſet, hæc perſeverantiæ virtus pendet a gratia perſeverantiæ, & hæc perſeverantiæ gratia ita pendet a Deo, ut illam mereri nequeamus. Verum eſt, quidquid conemur, non poſſe nos mereri finalis perſeverantiæ donum merito perfecto; ſed eam obtinere poſſumus, quod Theologi dicunt *de congruo*, quod divinæ innititur miſericordiæ, quæ in hoc poſita eſt, quod videns hominem divino adjutum auxilio, quantum in ſe eſt, operari, ut Dei legem adimpleat, ac in illius obedientia perſeveret, ſe commotam ſentit, ut hanc illi peculiarem conferat gratiam, quæ eidem non debetur, eique finalem concedat perſeverantiam, quæ donum eſt donorum. Hoc pacto finalem perſeverantiam mereri poſſumus, & quicumque huic propoſitioni non ſubſcriberet, in Patrum doctrina, ac Theologiæ principiis ſe prorſus rudem, hoſpitemque eſſe palam oſtenderet.

Cum Patres, atque Theologi de prædeſtinatione loquuntur, eam nobis exhibent, tamquam catenam ex pluribus ſimul invicem inſertis annulis compoſitam. Ex parte Dei catena hæc ſeries eſt auxiliorum, gratiarumque, quas electis ſuis præparavit Deus, ut illos certiſſime, quamvis libere, ad gloriam perducat. Ex parte hominis catena hæc eſt continuatio plurimorum actuum, per quos his auxiliis, & gratiis cooperatur. Omnes iſti actus totidem ſunt actus perſeverantiæ chriſtianæ, & hac in re omnes ſunt ejuſdem naturæ: ſed inter eos quidam extremus eſt, ad quem reliqui referuntur, & quem finalem vocare poſſumus perſeverantiam, quia ultimus eſt, qui reliquis omnibus coronidem imponit. Quod ſi in ſanctorum conſiliorum noſtrorum praxi ſemper perſeveravimus, habeamus depoſitionem ad ſalutem æternam, & hæc diſpoſitio nos adducit ad gloriam, quemadmodum ipſe Dei filius teſtatur Matth. 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.* Locus, Sanctus Auguſtinus ait, qui intelligendus eſt non de dono, ſed de virtute perſeverantiæ; quod non prohibet, quominus certum ſit, beatitudinem noſtram eſſe non ſolum effectum miſericordiæ Dei, ſed etiam noſtræ fidelitatis, & cooperationis noſtræ voluntatis, Deo numquam finalis perſeverantiæ donum illis detractante, qui fideliter in cultu ipſius perſeveraverint.

Quid gignat perſeverantiã.

Chriſtiani ſpiritus ſibimet perſuadere debet eas veritates, quibus ad virtutem adducitur. Voluntas ejus confirmari debet in amore virtutum, ut ad earum praxin deſcendat; & hæc inconcuſſa duarum harum animæ facultatum conſtantia gignit perſeverantiam. Si enim ſpiritus adeo fortiter credit veritates fidei, ut nihil certius credat; & voluntas adeo capta eſt amore virtutis, ut reliqua omnia flocci pendat; tunc mallet amittere omnia, ne vita quidem excepta, quam veritatum fidem, & chriſtianarum virtutum exercitationem deſerere.

Mutatio exercitiorum non eſt perſeverantiæ contraria.

Vera perſeverantia in finem potius, quam in mediis conſiſtit. Neque enim conſilium mutare, eſt mutare induſtriam, ut illud e voto cedat. Non deſeritur ars, cum mutatur inſtrumentum, quo in eadem exercenda uti debeamus; neque vituperandus eſt viator a via, quam primum arripuit, recedens, ut aliam ſequatur, quæ melius adducit ad terminum. Verum nihilominus eſt animam inquietam, ac mobilem, quæ ſuopte ingenio ſemper agendi rationem immutare gaudet, & quæ ex libidine potius, quam ratione operatur, ſæpe retrocedere magis, quam procedat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Neceſſitas perſeverantiæ, ſine qua omnia inutilia ſunt.

NON raro videntur fideles in viam ſalutis ingredi. Indignationis motus adverſus hunc mundum, pro quo facimus omnia, & qui pro nobis nihil facit; illius infidelitas, cui omnia noſtra contulimus: amici hujus interitus, litis amiſſio, fortunæ everſio, aliaque id genus ſexcenta efficere poſſunt, ut revertamur ad Deum tamquam ad unum illum, qui nobis in ærumnis, & angoribus noſtris ſolatio eſſe poteſt: ſed quotidiana nos docet experientia, brevi hujuſmodi converſiones vigere, ac oſtendit, poſtquam tempus imminuit, vel delevit impreſſiones, quas res illæ in mentibus, cordibuſque noſtris pepererant, nos iterum impenſius, quam antea, creatis rebus adhæreſcere: attamen ab una tantum perſeverantia omnis ſalus noſtra pendet, & corona illis tantum promiſſa eſt, qui in finem uſque perſeveraverint . . . . . Quodcumque boni, Sanctus Gregorius ait, a nobis factum fuiſſet, jam deletum eſſet, ſi illius exercitationem relinqueremus, antequam extremum vitæ ſpatium clauderemus: non ſecus ac bravium nequaquam deferretur illi, qui vix e carceribus egreſſus, ut ita dicam, pervolaſſet, ſed cui in extremo ſtadio vires defuiſſent. *Abbas de Monmorel ſermone in Evangelium Dominicæ 4. in Quadrageſima.*

Veræ converſionis indiciũ eſt perſeverantia.

Animadvertite, quæſo, perſeverantiam in gratia maximum eſſe argumentum, quod nobis reliquerit Evangelium de earum veritate converſionum, quas Jeſus Chriſtus operatus eſt. Qui neſcit, S. Petrum fuiſſe converſum? Legimus quidem, Jeſum Chriſtum in hunc oculorum aciem convertiſſe, legimus Apoſtolum hunc lacrymarum imbrem fudiſſe; ſed inde credere debemus, illum vere fuiſſe converſum, & gratiam recepiſſe, quod in ea perſeveravit. Quomodonam S. Matthæus converſus fuit? Legimus quidem Jeſum Chriſtum, cum illum in telonio ſedentem vidiſſet, illi imperaſſe, ut ipſum ſequeretur; publicanum vero hunc illico conſurrexiſſe, ac ſecutum eſſe; ſed inde maiorem converſionis ipſius percipio certitudinem, quod ille, ubi ſemel Jeſum Chriſtum ſecutus eſt, numquam ab eodem receſſit. Perſeverantia in gratia, atque peccati in æternum abrenunciatio, utriuſque veram fuiſſe converſionem, teſtantur. *Joly propoſitiona pro prima Dominica poſt Paſcha.*

Sine perſeverantia quidquid boni fecimus, eſt inutile.

Citra perſeverantiam quidquid boni fecimus, quidquid mortificationum amplexi ſumus, quidquid auſteritatis elegimus, quidquid vel irrogatarum, vel a nobis cooptatarum pœnitentiarum ſuſtinuimus, omnino eſt inutile. Quamvis omnes opes tuas pauperibus erogaveris, quamvis ciliciis, loriſque corpus tuum laniaveris, quamvis omnes artus tuos cruentaveris, quamvis ſolus ea omnia tormenta pertuleris, quibus omnes ſimul Martyres affecti fuere; ſi per ſummam infelicitatem tuam ſub extremum vitæ tuæ ſpiritum tibi deeſſet perſeverantia, & fidelitas erga Deum tuum, hæc omnia tibi ne hilum quidem eſſent profutura. Niſi hanc in gratia perſeverantiam habueris, de fide eſt, hæc omnia tibi nullius fore utilitatis. Quiſnam ſalvus erit? Num qui certavit? Haud ita ſane; plurimi ſtrenue certarunt, qui nihilominus modo infernis ignibus torquentur. Num qui currerit? Ne hic quidem; plurimi in Dei via currerunt, qui, eo quod fatigati ſunt, reprobati fuerunt. Num qui fidem habuerit? Nequaquam; innumeri habuere fidem, qui tamen æternum damnati ſunt. Quis igitur ſalvus erit? O Deus veritatis, aperi nobis magnum hoc myſterium! *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Matth. 10. *Idem.*

Nemo animos deſpondere debet, ſed in labore perſeverare.

Diverſos iſtic detegimus naturæ, gratiæque motus tempore adverſitatis. Natura, quia infirma eſt, animos deſpondet, conqueritur; ſed voluntas divina gratia ſuffulta ſeſe attollit, dilatat, &, ſi ita Dei fert imperium, ſeſe offert, ut longe plura ſuſtineat. Quamvis animæ ſeſe ea offerant facienda, quæ eidem impoſſibilia videntur, ea tamen audenter aggreditur; quippe perſuaſum ipſi eſt, impoſſibilitatem hanc eſſe metus ſui potius, quam imbecillitatis effectum: atque tandem Dei ope, & ea, quam in ipſo conſtituit, confidentia

dentia experitur eam rem, qua proſternenda eſſe videbatur, majorem ſibi vim attuliſſe. Duo animalia juncta plauſtro, quo Arca Dei Iſrael vehebatur, quamquam retroſpicerent, atque mugitibus ſuis cum teſtarentur dolorem, quo conficiebantur a fœtibus ſuis recedentes, conſuetaque paſcua relinquentes, tamen incedebant ſemper eo motu, quem illi Deus imprimebat, quin vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum flecterent iter, quo uſque ad eum pervenère locum, ubi erant immolanda. Ita naturæ repugnantia non prohibet, quominus Dei ſervus in virtutis via progrediatur, neque ſacrificii ſui meritum imminuit. E contra vero ſeſe devovere omnibus auſteræ vitæ laboribus, perſeverare, quin caro, vel ſanguis audiatur, ac ſemet offerre Deo tamquam hoſtiam viventem, maximum eſt argumentum, quo illud probare valeamus deſiderium, quo eidem placere ſtudemus. Sed qui animos adjicit, & qui, ubi adverſi aliquid accidit, retrocedit, palam ſe parum profeciſſe, ſeque non perſeveraturum teſtatur. *Ex parte ſecunda libri de iis, quæ Jeſus Chriſtus Paſſionis ſuæ tempore perpeſſus eſt.*

Perſeverandũ eſt in eo ſtatu in quo non Deus conſtituit.

Ex his exemplis Chriſti, & Apoſtolorum ejus diſcere poſſunt omnes Chriſtiani, quo modo ſe gerere debeant, cum de Cruce ſua deſcendere, id eſt, de tribulatione liberari ſine peccato non poſſunt. Ejuſmodi ſunt in primis regulares omnes, quorum vita votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ adſtricta ſimilis martyrio eſſe cenſetur. Item conjugati, cum divina providentia maritus uxorem querulam, moroſam, iracundam, ac pene intolerabilem ſortitus eſt: vel uxor maritum non minus difficilem habet, qualem fuiſſe S. Monicæ virum teſtis eſt S. Auguſtinus in libris Confeſſionum. Ejuſmodi ſunt etiam mancipia, quæ libertatem amiſerunt, addicti perpetuo carceri, vel alligati triremibus; ægroti denique, qui morbo incurabili laborant, & pauperes, qui niſi furtis, vel latrociniis ad divitias aſpirare non queunt. Hi omnes, & ſi qui ſunt alii, ſi perſeverare in ferenda Cruce cum gaudio ſpirituali, & ingenti mercede cupiunt, non reſpiciant Crucem, ſed eum, qui Crucem humeris illorum impoſuit. Is enim ſine dubio Deus fuit, qui Pater noſter amantiſſimus eſt, & ſine cujus providentia nihil in hoc mundo geritur. *Bellarminus de ſeptem verb. in Cruce cap. 18. lib. 2.*

Cum rerũ omnium tædio afficiamur, perſeverantia in bono eſt neceſſaria.

Docet experientia, quemadmodum rerum varietas placet, ita earumdem aſſiduitatem diſplicere. Similes ſumus ægris, qui tædio afficiuntur, quia nimis diu in lectulo jacere coguntur, & qui ſolatium percipiunt inde aſſurgentes, atque illuc redeuntes. Non nimii tantum laboris; ſed nimiæ quietis etiam nos tædet, atque ubi in eadem exercitatione diu cogimur immorari, eamdem faſtidimus, non ſecus ac eamdem ſemper comedentes eſcam faſtidire conſuevimus. Sin autem aliunde aliqua adſit difficultas in actione propter objectum illius, perſeverantia longe difficilior eſt. Fatigamur adverſo flumine remis iter agentes, atque ad altum prærupti montis cacumen, quin per intervalla requiem capiamus, aſcendentes. Nimio curſu creber anhelitus nobis ſpiritum intercludit, atque nimium loquentibus vox aliquando faucibus hæret. Non igitur mirum eſt, ſi quidem inveniantur, qui ſuæ converſionis initio validos in ſemet conatus exerceant, qui paulatim aliquid primi fervoris remittunt. Attamen in Chriſtianis non principia laudantur, ſed finis, Sanctus Hieronymus inquit, & perſeverantia virtus eſt operum bonorum; hæc enim animum roborat contra faſtidium, quod earum actionum, quæ cum virtute conjunctæ ſunt, aſſiduitas in nobis parere conſuevit. *P. Duneau, ſermone pro feria 5. poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.*

Difficile eſt perſeverare quia ſæpe feſſimus.

Tanta eſt humana fragilitas, ut raro perſeveremus in eadem vitæ ratione, quam incepimus. Fervor paulatim intepeſcit, ac tandem tædet naturæ corruptæ vim facere. Plurima objecta ſeſe noſtris ſenſibus offerunt non ſine validis illecebris, quibus fallimur. Libido motus ſuos opponit rationi, neque vult in æternum ſuavitatibus vitæ carere. Quid? ait; mihine hac voluptate in æternum carendum erit? mihine aſſidue laborandum, quin ullam unquam requiem carpere valeam, ac jugiter perferendum, quin ullum unquam ſolatium inveniam? Si ratio eam cogere vult, uti debet; eique tamquam indomitæ belluæ frænum injicere, in ſenſitivo appetitu triſtis, obſcuraque nubes conſurgit, quæ ſerenitati animæ offundit caliginem; tædia, faſtidia, nauſeæ catervatim illuc ingrediuntur. Voluntas, niſi per gratiam valide roboretur, non præſefert amplius tantum conſtantiæ; naturæ aliquid magis, quam antea concedit; Deoque intra meæ obligationis terminos famulatur, &c. *Idem.*

Perſeverantia laborem vir-

Perſeverantia moderatur triſtitiam, quam moleſtorum operum diuturnitas excitat in inferiori appetitu, atque communem aliarum virtutum curſum efficit faciliorem. Vir bonus horologio ſimilis eſt, cujus rotæ, ac pondera ſubinde attollenda ſunt, alioquin non proceſſuri. Virtutes ſunt rotæ, quæ efficiunt, ut in mandatorum, & conſiliorum via ambulemus; ſed temporis ſpatio gradum ſiſtunt, neque moventur amplius, niſi perſeverantia eas in illum ſtatum adducat, ubi ut antea moveantur. Cum nobis incedit triſtitia profecta ex diuturnitate laboris, ſine quo omnia officia noſtra accurate nequeunt adimpleri, perſeverantia illam expellit, atque nos in jugi virtutum exercitatione tuetur. *Idem.*

tutis [illegible] nuit.

Sine perſeverantia in virtute retrocedimus potius, quam procedamus.

In via Dei, inquiunt, *non progredi, regredi eſt.* Hinc paſſim accidit, ut perſeverantiæ defectu, virtutis exercitatio penitus deferatur, atque ſenſim, ac ſine ſenſu in vitia fiat lapsus. Utinam triſti docti experientia adeo frequenter veritatem hanc non intelligeremus! Quot extiterunt, qui poſtquam bene incœperunt, infelicem exitum habuere? quibus illud exprobrari poſſet, quod Galatis a S. Paulo cap. 3. *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?* Heu! Tanta charitate flagrabas, adeo ſobrius, modeſtus, & in bonis operibus diligens eras, quomodonam tam brevi mores, ingeniumque mutaſti? Sine perſeverantia nihil perfectum eſt, nihil completum. Hæc bonis operibus coronam tribuit, eaſque ſaluti utiles facit; per hanc ad ſtadii metam pervenimus bravium, atque curſus præmium relaturi. *Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit.* 2. ad Timoth. 2. Non eſt ſecundum leges bellicas decertare, ex acie dilabi, antequam fuerit debellatum. Nihil prodeſt, virtutem adeptum te fuiſſe, niſi in virtute perſeveraveris. E contra magis obeſt aliquando virtutem coluiſſe, & ab illa recedere, quam illam ne de nomine quidem agnoviſſe; etenim ut plurimum qui incœptum deſerunt bonum, in extremum malorum decidunt, & quo meliores, ſanctioreſque fuerunt, eo fiunt nequiores, atque flagitioſiores. *Idem.*

Poſt acceptã gratiam, hæc ſervanda eſt, & in eo ſtatu perſeverandũ.

Si tu, Auditor mi, qui per ſanctos hoſce dies Dei gratiam te recepiſſe putas, ſi ita affectus non es, ut quocumque pretio gratiam hanc tueri velis, niſi animum adjeciſti, ut omnia vel coneris, vel patiaris, ut hac gratia perfruaris, ſi ex illa experientia, quam de temetipſo habes, prævides, gratiam hanc in ſingulos dies infirmatum iri, ac nullam adhibes medicinam, nullamque adfers diligentiam; ſi gratia hæc, quæ vita eſt animæ tuæ, quamquam aliud ſpopondiſſes, peccato ſuffocata fuit, ſi affectus, quibus ad aras nuncium miſiſti, iterum illud acquirunt imperium, quod antea obtinebant, niſi vitia tua deſeris, ſi, quin te ipſum in virtute confirmes per vim ſacramenti, gratiæ huic miſeram tribuis fragilitatem, audacter cum Apoſtolo affirmo; tu nequaquam reſurrexiſti, & Reſurrectionis myſterium non habuit in te effectum, qui ejuſdem proprius eſt, videlicet gratiam ſervare, & in eadem perſeverare. *P. Bourdalove ſermone pro feria 2. Paſchæ.*

Perſeverantia in gratia ſignũ eſt prædeſtinationis.

Theologi omnes fatentur in vita hac quædam haberi ſigna, per quæ cognoſci, vel ſaltem conjici poſſit, quinam ſint ad gloriam reſurrecturi, atque in prædeſtinatorum albo deſcribendi; ſed iidem unanimi conſenſu fatentur, pleraque hæc ſigna æquivoca eſſe, errori obnoxia, & quotidie fallentia. Attamen ſi quod eſt inter hæc ſigna, cui fidem habere liceat, hoc profecto eſt perſeverantia in gratia. Quorſum autem? quia perſeverantia hæc incipit in nobis exprimere ſtatum felicem, ad quem contendimus; quia ipſa naturaliter nos adducit ad ſupremum hoc bonum; ac tandem, quia hæc perſeverantia efficit, ut peculiarem mereamur gratiam ad eamdem felicitatem perveniendi. *Idem.*

Juſti per perſeverantiam reſurrectionis ſtatum repræſentant.

Cum homines ſæculi ſint tamquam fragiles calami ſexcentis affectibus agitati, qui timori cedunt, qui humanis reſpectibus flectuntur, qui adverſis quatiuntur, qui proſperis ſeſe rapi ſinunt (quo in ſtatu Sanctus Paulus creaturam vanitati ſubjectam exhibebat); juſti e contra roborati per hanc perſeverantiam, quam veluti legem ſibi propoſuerunt, ſuper omnia elati, mundi, ac ſemetipſorum victores, beatum illum experiuntur ſtatum, qui ſequitur reſurrectionem. Cur? Quia non vivunt amplius in hac vitæ, ac mortis, gratiæ, & peccati viciſſitudine; quia habent, dicere ſi fas eſt, voluntatem certam, qua bonum & volunt, & operantur, quia parvulum ſibi in terris paradiſum conſtituunt, quia hic prædeſtinatorum vitam vivunt, cum hoc diſcrimine, quod in terris per meritum habent id, quod reſurrectionis ſtatus beatis tribuit per neceſſitatem. *Idem.*

Cum patet ſtadium, Sanctus Paulus ait, omnibus currendi jus eſt; ſed unus tantum refert præmium: *Neſcitis, quod multi in ſtadio currunt, ſed unus accipit bravium?* Hoc de Chriſtianis dicendum non eſt: etenim heu! quid accideret nobis, ſi eidem legi eſſemus obnoxii? Nemo veſtrum eſt, cui dicere cum Apoſtolo nequeam: *Sic currite, ut comprehendatis.* 1. ad Corinth. 9. Ne putetis futurum, ut competitorum vobis officiat præſentia; in theſauris Dei ſatis, ſuperque divitiarum eſt, quas mortalibus omnibus elargiatur. Deus liberalis eſt remunerator, non vult, hujus victoriam in alterius cedere probrum; ſed *Omnes athletas ſuos deſiderat coronari*, quidam Pater ait. *Idem.*

Homo ſuopte ingenio incõſtans per hãc perſeverantiã particeps fit immutabilitatis Dei.

Deus unus de ſeipſo glorioſa hæc proferre poteſt verba, quæ per Malachiam Prophetam dicit: *Ego Deus, & non mutor.* Primo tantum entium omnium principium eæ laudes conveniunt, quas illi S. Jacobus cap. 1. tribuit: *Apud quem non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio.* Quidquid ex nihilo egreditur ſecum defert mutationem tamquam ſuæ ignobilitatis indicium. Homo præſertim adeo infirmus eſt, atque inconſtans, ut numquam fere eodem in ſtatu permaneat, ut inquit Job cap. 14. *Numquam in eodem ſtatu permanet.* Sed licet talis ſit in ſuæ naturæ principiis, ille tamen omnino alius eſt, cum per gratiam attollitur, namque per gratiam hanc fieri poteſt particeps immutabilitatis Dei in bono perſeverans. Supernaturalis charitas, quam effudit Deus in cor ejus, & cui nova ejuſdem eſſentia innixa eſt, adeo fortis eſt, Sanctus Paulus 1. ad Cor. 13. ait, ut ſola prava hominis voluntas eam valeat delere: *Charitas numquam excidit.* Magnum illud diſcrimen, quod prædeſtinatos inter, reproboſque invenitur, inquit Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico, hoc eſt, quod juſtus perſeverat in ſapientia, & incedit in via virtutis ea æqualitate, qua Sol procedit; e contra vero peccator obnoxius eſt defectibus, & mutationibus non ſecus ac Luna: *Juſtus in ſapientia manet ſicut ſol, ſtultus ſicut luna mutatur.* *Pater Texier, ſerm. pro Domin. in Albis.*

Omnis vitæ noſtræ labor ſine perſeverantia eſt inutilis.

Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua; ſed felicitatis cumulus eſt, ſi conſtanter illud ad extremum uſque ſpiritum geſtaverit. Nequicquam operarii, qui omnium primi ad opus acceſſere, pondus diei, & æſtus ſuſtinuiſſent, niſi ad diei finem uſque perſeveraſſent. Viatoris labor inutilis eſt, cum ad terminum minime pervenit: & ingens ille Iſraelitarum numerus, qui ingreſſus non eſt in terram, quam illis promiſerat Deus, fructum laboris annorum quadraginta perdidit. Quid profuit Salomoni ſapientia, quam primis regni ſui temporibus habuit, ſi dedecore affecit ſenectutem ſuam inſanis amoribus, quibus ex ipſa ætate facta eſt acceſſio nequitiæ? Cum de virtute agitur, magis quam alia qualibet in re finis coronat opus. *P. Dozenne, in morali Jeſu Chriſti, de perſeverantia.*

Media ad perſeverantiã obtinendam.

Orationis exercitatio, & ſacramentorum frequentia optima ſunt adjumenta ad perſeverantiam acquirendam, & obtinendam: oratio quidem, quia perſeverantiæ gratia donum eſt donorum; ſacramentorum vero frequentia, quia ſunt noſtræ infirmitatis ſubſidium. Panis, qui Eliæ Prophetæ contulit vires, ut iter ſuum uſque ad montem Oreb perſequeretur, Euchariſtiæ tantum erat figura; & in oratione ſæpe dicere debemus Jeſu Chriſto: doce nos Domine, ſi tibi lubet, exemplo tuo perſeverantiam; fac, ne unquam a tuo amore ceſſemus; ſi per amorem tuum cruci adhæreamus oportet, ne permittas, nos inde alio quolibet amore divelli. *Idem.*

Dæmon nihil intentatũ relinquit prohibiturus, ne perſeveremus.

Dæmon primum quidem nos libentius aggreditur; ſperat enim ſe prohibiturum bonum, quod nobiſmet propoſuimus, & effecturum hoc pacto, ut noſtro fine excidamus; ſub finem vero *habens iram magnam* præliatur, extremoſque conatus exerit *ſciens, quod modicum tempus habet*, ut noceat nobis; ſed inter utrumque extremum efficit utrumque; quia interrumpens bonum opus, quod inchoavimus, magnam de nobis refert victoriam, neque deeſt illi adhuc tempus, ut bellum producat, donec nos in eum ſtatum adduxerit, ubi interitum noſtrum reparare minime valeamus. Prima hæc victoria alteram illi pollicetur; hæc illi cor inflat, ſimulque nos proſternit, infirmatque, & impares facit, qui illum deinceps ſuperare valeamus. Ideo Dei filius dicebat, ſi quis manum admovet aratro, ſi cum fervore incipit affectus ſuos mortificare, & imitari bona, quæ ſibi præbentur, exempla, hunc aptum non eſſe regno Dei, neque obtenturum unquam juſtitiam, pacem, & gaudium, in quo regnum illud conſiſtit, neque cœli bona, quæ pro illis ſunt, qui conſtanter ad finem uſque laboraverint. *A Ponte in Duce ſpirituali cap. 18.*

Perſeverantia nequaquam eminus proſpicienda eſt, quaſi diutius eſſet proferenda; potius nobiſmet perſuadeamus ſatis eſſe, ſi unius horæ ſit, vel unius diei, & Deum ex nobis nil ultra petere; utque nobiſmetipſis animos faciamus, intra nos dicamus: in ſancto propoſito meo hac hora, vel die hac perſeverare volo; quid ſcio, utrum poſtea Deus me viſitaturus ſit, & in gratia confirmaturus? Sed ſi loco cedo, recedo ab officio, periclitor, ne de gradu dejiciar, ut Saul in meæ inconſtantiæ pœnam . . . . Chriſtiane ignave, ac iners, ſi ſcires quantulum diſtas a fine tuo, proculdubio omnes conatus exereres, ut ad finem uſque perſeverares. Si cogitares, tibi quolibet die moriendum eſſe, quam facile in gratiam perſeverares! *Idem.*

Principiũ humanæ inconſtantiæ prohibentis, ne perſeveremus in bono.

Principium inconſtantiæ hominis propria eſt conſtitutio, quæ efficit, ut de ſeipſo reſpondere nequeat, neque promittere, ſe in ſuſceptis conſiliis perſeveraturum. Homo conſtat corpore, & ſpiritu; ſpiritus naturali motu cœlum verſus attollitur, ſed corpus aliud habet pondus, & aliam propenſionem terram, terrenaque verſus; cumque duobus hiſce adeo oppoſitis ſtudiis ſimus obnoxii, quomodo firmi, & conſtantes eſſe poſſumus? Si mentis meæ motum ſequor, bonum operor, & ad aliquod temporis ſpatium virtutem excolo; ſed paulo poſt oppoſitus me rapit motus corporis, quo fit, ut immuter; atque ita hæc duarum adeo oppoſitarum partium oppoſitio, & circulus hic oppoſitorum motuum modo ſpiritualium, & modo carnalium ſunt fere neceſſaria cauſa jugis inconſtantiæ, quæ maximum eſt impedimentum, quod in chriſtianarum virtutum exercitatione nobis ſuperandum eſt. *Specimen ſermonum pro feria 2. Paſchæ.*

Exhortatio ad perſeverãtiã

Accidit nonnumquam, ut juſti ſub ſtadii exitum gradum ſiſtant, ut ſpem, quam dæmon illis tamquam incertam proponit, abjiciant, præſentia, & viſibilia conſectaturi bona; atque ut ſecreta divinarum promiſſionum diffidentia illos in diſcrimen adducat amittendi coronam perſeverantiæ eo tempore, quo prope eſt, ut illam recipiant. Animæ juſtæ! fidem veſtram excitate, expectate Dominum, viriliter agite, inquit Propheta Pſalm. 26. *Expecta Dominum, viriliter age.* Quænam vobis infelicitas imminet, ſi poſtquam diutius ſalutis veſtræ negotio vacaviſtis, poſtquam pondus totius diei, & æſtus ſuſtinuiſtis, poſtquam tot ſuperaſtis inſidias, & plures annos in moleſta, arctaque virtutis via ambulaſtis, funeſto lapſu cecideritis tunc, cum jamjam montis cacumen attingitis? Mementote in præliis chriſtianis fini victoriam adjudicari. Adhuc in exilio, atque in itinere eſtis: ideoque nolite obſtupeſcere niſi ea tranquillitate fruimini, quæ in termino tantum, & in patria invenitur. Semen jeciſtis, virtutis veſtræ fructus proceſſerunt, ſed nondum ad perfectam maturitatem pervenerunt. Copioſæ meſſis tempus præ foribus adeſt; patienter diem Domini expectate. *Specimen ſermonum pro quarta poſt Pentecoſten Dominica.*

De hominis in bono inconſtantia.

Hominis inconſtantia utilis eſt illi; prohibet enim, ne mordicus in malo perſiſtat. Homo peccator hac in re præſtat Angelo peccatori, quod ſceleris ſui illum pœnitere poteſt, cum e contra prævaricator Angelus funeſto naturæ ſuæ privilegio nequeat agere pœnitentiam, & retractare conſenſum, quem ſemel noxiæ tribuit cogitationi: ſed hæc eadem inconſtantia nihilo minus officit homini, quia prohibet, ne perſeveret in bono, & ſæpe vitam ejus perennem efficit virtutum, vitiorumque viciſſitudinem. *Ex ſpecimine ſermonum pro Adventu.*

Perſeverãtiæ commoda.

Beatus, qui in finem uſque perſeverat! Reliquæ virtutes omnes decertant, una triumphum agit perſeverantia: hæc refert victoriarum præmium, atque mercedem. Hinc quidam Eccleſiæ Pater ſcite perſeverantiam ramum vocavit fructum afferentem. Nequicquam Chriſtianus in agro Eccleſiæ radices figit per Baptiſmum; pœnitentiæ lacrymis irrigatur, ſucco gratiæ ſacramentorum nutritur: niſi produxerit ramum vitæ fructum ferentem, niſi in ſanctitate perſeveraverit, arbor eſt nonniſi æternis ignibus comburenda. Attamen plurimi incipiunt, non pauci pergunt, perpauci ad finem uſque perſeverant. *Specimen ſermonum pro die S. Joannis Evangeliſtæ.*

De finali perſeverantia.

Ut noſmet ſemper in humilitate, & ſubmiſſione contineret Deus, utque cum timore, ac tremore ſalutem noſtram operari deberemus, noluit Deus finalis perſeverantiæ donum hominum commercio exponere; illius arbitrium ſibi reſervare voluit, ut ſemper eſſet effectus miſericordiæ ſuæ. Promiſit quidem gratiæ ſanctificantis augmentum omnibus juſtis, a quibus virtus exerceretur; non ſecus ac recepit, ſe coronam gloriæ collaturum illis omnibus, qui in gratia deceſſiſſent; ideoque quia ita felix eſt, ut moriens eam poſſideat, hic coronam illam acquiret. Verum perſeverabitne in gratia uſque ad mortem? Perſeverabit fortaſſe;

taſſe; verum itane, ut Deus, quin ſuam lædat juſtitiam, ac fidem, ei deneget gratiam, quæ ipſius conſtituere debet felicitatem? Quia omnia bona opera nullum habent neceſſarium nexum cum perſeverantiæ dono; hæc merces non eſt, quæ illi debeatur. *Auctor Anonymus.*

Inſenſati Galatæ, qui cum ſpiritu bene incœpiſſetis, turpiter carne deſiiſtis. Agricolæ nequam, qui cum aratro manum admoviſſetis, retro reſpexiſtis, & ex agro Domini egreſſi eſtis, quia nimis durus, difficiliſque excolendo videbatur, tribulis, ſentibuſque impeditus, neque eam ibi meſſem inveniebatis, quam vota veſtra exoptabant. Ignavi milites, qui cum ſub crucis vexillo nomen dediſſetis, abjeciſtis arma, clypeumque vobis eripi paſſi eſtis. Dei filius pro ſuis id genus mortales non recenſet, quantumvis initio amorem ſuum eidem teſtati ſint: etenim ille ſolum ſalvus erit, qui in finem uſque perſeveraverit, & illis tantum, qui uſque ad mortem fideles fuerint, vitæ corona promittitur. Alii a quodam Sancto Patre, *Temporarii Chriſtiani* vocantur, qui pro variis temporum viribus mutantur. *Auctor Anonymus.*

Perſeverantiæ neceſſitas.

Nullus ſcio, utrum aliquis de perſeverantiæ neceſſitate poſſit ambigere. Eam quidem difficilem eſſe fateor: homo magis idoneus eſt, qui nobilem exerat conatum, quam qui diutius rei cuipiam inhæreat; in mundo plerique in iis, in quibus plurimum requiritur temporis, propoſitum ſibi finem non aſſequuntur; ardenter quidem incipiunt, ſed mox intepeſcunt, & cum ob dilatam ſpem cor elanguet, ab incœpto deſiſtimus. Non igitur mirum eſt, ſi in ſalutis negotio perſeverantia deficiat, ubi plurima facienda ſunt naturæ contraria, & ad finem uſque vitæ producenda. Attamen ſine perſeverantia numquid acquiri poteſt corona? Hæc viri fidelis characterem conſtituit, eumque ab inconſtanti, hypocritaque ſecernit. *Auctor Anonymus.*

Semper de nobiſmetipſis diffidendū eſt præ timore ne perſeveremus.

Gratia numquam prior nos deſerit, ſed caveamus, ne ipſi priores deſeramus eam. Gratiam hanc in fictilibus vaſibus deferimus, Apoſtolus inquit, & præterea in lubrica incedimus via, obſcuraque nocte, & nos crudeles perſequuntur inimici, qui hunc nobis theſaurum auferre contendunt. Ne fidamus ergo viribus propriis, conjiciamus noſmet inter ulnas miſericordiæ Dei, eumque obteſtemur, ut vim perſeverandi nobis concedat. Origenes, Tertullianus! triſtia humanæ infirmitatis exempla! Si pretioſam hanc ſervaſſetis gratiam, nequaquam noſtris fletibus, timoribuſque cauſam præberetis. O Deus, nos tuere adverſus noſtras infirmitates, nobiſque fer auxilium, ut ipſum te in cordibus noſtris ſervare valeamus. *Auctor Anonymus.*

Semper indigemus perſeverantia.

Hominum juſtitia, S. Bernardus ait, non ſemper juſtitia eſt permanens in ſæcula ſæculorum. Hæc imminuitur, infirmatur, ac tandem amittitur, quin tamen dici aliquando queat, falſam eſſe juſtitiam. Haberi poteſt vera, & ſincera charitas, & nihilominus fluxu temporis amitti poteſt; alioquin enim quomodonam Dei filius Apoſtolos ſuos admonuiſſet, ut in ſua dilectione manerent? *Manete in dilectione mea.* Joann. 15. Charitas, & perſeverantia ergo non ſemper ſimul conjunctæ ſunt, & poteſt aliquis Deo fidelis fuiſſe, quin fidelis eſſe perſeveret. Fidelis erat Saul initio regni ſui: ſcriptum eſt enim, neminem eodem æquiorem fuiſſe in populo Iſrael, ſed non fuit amplius fidelis, cum Dei imperata facere detrectavit. Hoc ipſum de Salomone, & S. Petro dici poteſt. *Auctor ſermonum moralium hujus argumenti.*

Per perſeverantiam participes ſimus immutabilitatis Dei.

Spiritus Dei proprium eſt eſſe immutabilem, & nonnihil ex hac perfectione illis communicare, qui eodem animati ſunt. Quilibet alius præter illum mobilis eſt, & inconſtans . . . . Homo, qui virtutis partes relinquit, ſeque iterum peccato ſubjicit, ſuperioris fidelitatis ſuæ fructum omnem amittit, & bona ejus opera mortificata non reflorеſcunt, ut ita dicam, niſi cum ad verum principium ſuum, Deum nempe, revertitur. Quemadmodum ex memoria ſua expungit Deus omnia præterita hominis peccata ad ſe revertentis; ita diſcedentis omnium etiam ſuperiorum virtutum obliviſcitur. *Idem.*

Quocumque in ſenſu accipiatur, perſeverantia in bono ſemper eſt glorioſa.

Si perſeverantia in juſtis eſt perſeverantia in exercitatione virtutum, per meritum conſtantiæ novam illi lucem tribuit: omnes enim virtutes ſine perſeverantia non aliud ſunt, quam juſti nutantes, & quemadmodum eos S. Proſper appellat: *Juſti temporarii, juſti titubantes.* Si hæc finalis eſt perſeverantia, hæc illos coronat. Altera ad aliquod tempus hominum voluntatem in bonum inclinat, quamvis ſemper ſit libera, & hæc voluntaria hominum determinatio illis gloriæ cedit: alioquin enim inconſtantes, mobileſque habentur, potius quam juſti, ac virtute præditi. Altera vero perſeverantia, quæ finalis eſt, neceſſario figit voluntatem in bono, & hæc neceſſitas eorum felicitatem conſtituit. *Idem.*

De inconſtantia in bono.

Quam beati eſſemus, ſi in iis omnibus, quæ Deus non ſunt, inconſtantes eſſemus; etenim dolor ipſe, quo in errore noſtro afficeremur, efficere poſſet, ut reverteremur ad illum. Sed ita facile ſummum relinquere bonum, uti infidelem relinqueremus amicum, hoc ferri nequit, hoc ne concipere quidem ponit Sanctus Paulus. Præſtaret procul dubio numquam coluiſſe Deum, quam illum hoc pacto relinquere: hoc enim nonne eſt illi contumelioſa comparatione dæmonem anteferre? Nonne de nobis loquitur S. Hilarius, cum explicans, quænam eſſet ævo ſuo nonnullorum Chriſtianorum infidelitas erga Deum, ait, pro variis occaſionibus, quæ ingruebant, illos ſemper in utramque partem fuiſſe paratos, ut vitium, virtutemve ſequerentur, vivendi rationem non ad tutas, certaſque Evangelii regulas, ſed ad hominum mores conformantes ob voluptatis, aut fortunæ cauſas pro temporum, locorumque ratione, ac ſecundum pernicioſa humanæ politicæ inſtituta: *In utramque partem parati colentes temporum, non Dei leges.* Fragile lucrum, honoris cauſa, inanis cupiditas, turpis amicitia, ludi, vel libidinis ſocietas, irriſio efficere poſſunt, ut omnia bona conſilia abjiciatis & cauſam Dei relinquatis. Hoc dixit Spiritus Sanctus, & veriſſimum eſt, quod ſtultus ſicut luna mutatur, hodie virtutem de induſtria amplectitur, cras illam ex libidine deſerit: modo timor judiciorum Dei efficiet, ut ille ſeſe divino cultui addicat, modo vero hominum timor illum inde divellet; non deerunt occaſiones, in quibus voluntatem concipiet Deo ex corde inſerviendi, aderunt mox aliæ, in quibus mundus, alienaque exempla eos detrahent in ſcelus; & ſæpe, poſtquam inſignem in virtute progreſſum fecerint, ſenſum, moreſque immutabunt per teporem, atque inconſtantiam. *Fromentiere.*

Mutari non debemus, ubi ſemel virtuté ſimus amplexi.

Memento auditor mi, optimorum ſenſuum, quos alias tibi immiſit Deus. Scin' quid te tunc temporis affecerit? Oblituſne es eorum, quæ a Deo recepiſti? Revoca in mentem illos amoris ſenſus, atque dico tibimetipſi: Numquid anima mea, conſilia, quæ in illud tempus concepi, hodierna die non ejuſdem ſunt neceſſitatis ac olim? Numquid mutatum eſt illud principium, cui illa innitebantur? Numquid recens aliquod mihi lumen affulſit, quod mihi tunc deerat? Num alio in ſtatu nunc ſunt omnia? Nequaquam. Cum Deo hoc, vel illud promiſit, hoc officii mei eſſe putabam, & id niſi feciſſem, Deum mihi iratum futurum: numquid me ipſum fallebam? nequaquam. Hæc igitur omnia erant vera; & ſi tunc erant vera, hodierna etiam die vera ſunt. Cur ergo mutavi conſilium? cur ab illa vivendi forma receſſi? Cum fidei meæ lumina ſemper ſint eadem, cur cordis mei deſideria mutata ſunt? O quam admirabilis hæc eſt ars in bono perſeverandi! *P. Bourdaloue, Sermone de perſeverantia.*

Homo inconſtans aptus non eſt regno Dei.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei. Quomodo autem aptus ſit hic homo inconſtans, quandoquidem neque mundo, nec mundi negotiis eſt aptus? Si mundus, qui eadem eſt inconſtantia, pacem habere non poteſt cum illo, qui incertus eſt conſilii, & inconſtans, quomodo habeat Deus, qui eſt immutabilis? Utique anima, quæ in hac viciſſitudine, & mutatione verſatur, apta non eſt regno Dei. *Idem.*

Quænam fuerunt Dei de nobis conſilia, cum ille gratiam, cujus miſere jacturam feceramus, nobis iterum contulit? Numquid ut jacturam hanc, novamque reparationem nullo in diſcrimine haberemus? Gratiam illam recepimus, ut fidelis perſeverantia novum meriti characterem virtutibus noſtris tribueret; verum mementote, niſi illam tuemini, niſi in eo perſeveratis ſtatu, in quo vos illa conſtituit, hanc futuram contra vos teſtem apud Deum, qui adeo contumelioſum incomparabilis beneficii contemptum vobis exprobrabit. *Sermo Manuſcriptus.*

A bonis operibus ceſſandum non eſt propter eas, quæ occurrūt difficultates.

Etiamſi graviſſimæ vobis occurrant in virtutis via difficultates, animos ne deſpondeatis; ſed e contra inde occaſionem arripite inſtaurandi conatus veſtros eorum exemplo, qui naviculam agunt contra perniciſſimi fluminis curſum. Brachiis, remiſque contendunt, ut aquarum rapiditatem ſuperent, & ſi fluctus in illos irritantur eis obluctantes, non ideo illi recedunt; ſed quo major eſt vis fluminis, eo majorem vim, induſtriamque adhibent, ut fluctus frangant, ac eorum obice ſuperato iter ſequantur. Ita in bonis conſiliis noſtris nobis agendum eſt; videlicet conſtantes, & inconcuſſi debemus eſſe, & ſi quando accidit, ut facti magnitudine vincamur, ſtatim nobis conſurgendum eſt, ac

ac ſtrenue perſeverandum in eo, quod incepimus. Tandem enim labor aſſiduus, & quem nulla res unquam deterret, omnia vincit. Homines ſæcularibus in negotiis fatigari non poſſunt, neque ab incœpto deſiſtunt, quamvis fortuna illis non admodum arridere viſa eſt. Inſtitor a mercatura exercenda minime ceſſat, quamvis aliquam paſſus fuerit jacturam; agricola ab agris colendis non abſiſtit, quamvis minime uberem meſſem in horreis condiderit; e contra impenſius, ac diligentius poſt hæc infortunia rebus ſuis operam navant, ſi forte induſtria ſua reparare valeant, quod per infortunium amiſerunt. Majori ergo cum fervore perſeverandum eſt in cultu Dei, ubi labor longe minor eſt, præmium vero longe majus, ac tutius. *Granatenſis tractatu de Oratione cap. 2. §. 2.*

Firmitate, & perſeverantia opus eſt in pietate, & exercitiis virtutis.

Operæ pretium eſt animadvertere, ut inſignis aliquis fructus ex pietatis exercitiis percipiatur, indeſinenter eſſe perſeverandum. Neque enim deſunt mortales, quorum cœpta conſilia nunquam ad exitum perducuntur. Videntur illi quidem triduo, ad ſummum quatriduo ſumma cura adhærere Deo; poſtmodum vero, ita intepeſcunt, ut ubi ad prima redire volunt exercitia, ita frigidi ſunt, ac ſi de illis ne verbum quidem antea fieri audiviſſent. Tunc ipſi novos ſibi conatus proponunt; pro virili priores pietatis exercitationes inſtaurant, & poſtquam aliquantulum in ipſis permanſere, deterriti labore, ac moleſtia, qua ſemetipſos vincere debent, in medio curſu ſubſiſtunt, totaque eorum vita in ædificando, ac deſtruendo tranſigitur; qua in re infelicem imitantur Syſiphum, inutili labore lapidem in ſummum montis verticem deferre adnitentem; nam ubi ſummo cum anhelitu ferme ad cacumen evaſiſſet, lapis illi manibus excidebat ſemper in imam uſque vallem provolutus. *Idem, §. 16.*

Perſeverantia omnia ad finē perducit.

Nihil in terris adeo invictum eſt, quod gratia, & labor non vincat: nulla ſunt ædificia, quantumvis immenſa, quæ paullatim non perficiantur, ubi lapis ſuper lapidem collocetur: nulla via eſt, quamvis longa, ad cujus terminum non perveniatur gradatim incedendo; & artifex, qui marmor ſecat, tandem voti ſummam conſequitur, quantumvis exiguam partem in ſingulos ictus illinc abſcindent. Quod ſi perſeverantia, quin comes illi accedat gratia, tantum poteſt, quid tanta ope accedente non poterit? *Idem in memoriali lib. 7. §. 4.*

De inconſtantia in cultu Dei.

Nemo eſt, in cujus vita bona malis permixta non ſint: vitia tempus ſuum habent, ſicuti & Deus ſuum quadam veluti compenſatione, & conventione; & quod magis mirum eſt, actiones adeo diverſæ, & oppoſitæ ita nectuntur, ac invicem continuantur, quaſi ejuſdem eſſent naturæ; & ſenſim, ac ſine ſenſu ab his ad alias fit tranſitus, ab exercitiis pietatis ad cupiditatum inſanias, quin ulla in ipſo tranſitu interruptio ſentiatur, de pœnitentia ad voluptatem, de eleemoſyna ad fœnus, & injuſtitiam, de prædicatione ad licentiam, & impietatem. Poſt omnia pietatis exercitia iterum noſtris affectibus indulgemus eo modo, quo aquæ Jordanis ad ingenium ſuum rediere, ſtatim ac Arca præteriit: hoc eſt naturaliter, ac ſine vi. *Abbas de S. Martino in Quadrageſima.*

Non omnis perſeverantia laudabilis eſt.

Perſeverantia, quæ laude videtur digna, non ſemper eſt. Scriptura Sancta plura nobis exempla ſuppeditat, ex quibus innoteſcit, bonum eſſe aliquando a propoſita ſententia recedere. S. Petrus bene fecit retractans id, quod magiſtro ſuo dixerat: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Judas e contra conſummavit crimen ſuum datam principibus ſacerdotum fidem præſtans. Primum igitur conſilium illud eſſe debet, ut nihil aggrediamur, quod juſtum non ſit; poſtmodum vero ſi conſilium, quod captum fuit, aliqua ex parte deficiat, tunc in melius mutandum eſt. Si ſtatim minus bonum captum fuerit, poſtulat prudentia, ut decurſu temporis, reparetur; ſecundum enim erit prioris remedium. Sed cum bonam ingreſſi viam ſumus, pro virtute id faciamus, quod pro vitio illi, qui in ſceleribus conſenuerunt. Cor longo habitu in iniquitate obduratum dicit, ut olim Pharao; *non dimittam*; & anima in ſanctitate confirmata, ut ſponſa Canticorum, dicit: *Tenui eum, & non dimittam.* Cantic. 3. *P. Dozenne in Morali Jeſu Chriſti.*

Non ſatis eſt bene incœpiſſe niſi perſeveretur.

Athleta, qui ſuis ſe veſtibus exuit, nondum de inimicis triumphum reportavit; idem enim ſe exuit, ut illos proſternat, & quadam cum utilitate cum illis congrediatur. Scitus urinator, qui abjicit indumenta, ut ingentem tranet fluvium, nondum traduxit illum, quamvis ſuas veſtes reliquerit; ſeſe in aquam conjiciat oportet, eamque lacertorum vi ſecet, atque ſuper fluctus ſe attollens jugi, habilique totius corporis agitatione feliciter ab uno ad alterum littus pertranſeat. Æget, qui pharmacorum ope convaluit, non ideo ſtatim ita effætas reparavit vires, ut jugi non egeat præcautione, ne iterum ægrotet. Hoc ipſum de peccatore recens converſo dicendum. Per gratiam ſacramentorum vicit peccatum, verum niſi perſeveraverit, victoriæ ſuæ fructu non perfruetur. Seſe ſuis criminibus exuit, verum ſi hoſtiles non propulſaverit impetus, dæmon poterit adhuc de eodem recentes triumphos referre. *Ex ſermonibus Chriſtianis pro feria 2. Paſchæ.*

Perſeverantia in bono firmam nobis inſpirat ſpem in Domini miſericordia.

Veritatem hanc nos exemplo ſuo Paulus Apoſtolus docet affirmans, ſibi juſtitiæ coronam deberi, ac ſperans futurum, ut illam a Domino, tanquam juſto judice obtineat: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex.* 2. ad Timoth. 4. Alibi paſſim trepidat ſuæ ſalutis incertus, eo uſque, ut caſtiget corpus ſuum, ac illud redigat in ſervitutem, veritus, ne poſtquam aliis Dei verbum annunciaverit, ipſe reprobetur. Verum ſeipſum confirmat, ubi cogitat vitæ ſuæ finem ſibi imminere: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Sentio equidem me victurum non eſſe, nec longe abeſſe tempus, quo anima mea a corpore ſeparanda eſt: hoc tamen ſolatium mihi eſt, & cauſa, propter quam omnia a Dei mei miſericordia, & juſtitia ſpero me conſecuturum: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Quaſi diceret: niſi in finem uſque certaſſem; ſi proximus termino curſus mei deficerem; ſi poſt ſervatam diu fidem eam violarem, eheu! actum eſſet de me: nullus eſſem: verum cum ab ipſa converſione mea ad hoc uſque tempus ſemper Domino fidelis fuerim, ſpero fore, ut in me per felicem perſeverantiam perficiat bonum, quod ipſo auctore feci; jam mihi videor eam coronam recipere, quæ me manet; & ſi perſeveravero, æque certus ſum mercedis meæ, ac ſi illam jam poſſiderem: *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Reſervata eſt mihi, neque mihi ſolum, ſed illis omnibus, qui in finem uſque perſeveraverint. *Joly, propoſitione pro prima Dominica poſt Paſcha.*

Perſeverantia in bono maximum eſt, quod haberi poſſit prædeſtinationis indicium.

Ad finalem perſeverantiam nonniſi per inceptam perſeverantiam pervenitur ob eam rationem, quia quidquid deſinit, incepit. Nulla igitur eſt finalis perſeverantia, ubi perſeverantia incepta non ſit: *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Si hanc habes inceptam perſeverantiam, quæ pendet a tua cooperatione gratiæ, video in te magnum tuæ prædeſtinationis, atque ſalutis indicium; Deus enim nequaquam negabit tibi finalem gratiam, quæ unice ab illius pendet voluntate. Verum ſi inconſtans fueris in bono, incerta eſt ſalus tua, vel dicam melius, fere certa eſt reprobatio tua. *Specimen Sermonum pro feria 2. Paſchæ.*

Noſmet ad perſeverantiā excitare debemus exemplo filii Dei.

Adſpice perfectum hoc immutabilis conſtantiæ exemplar, ac tua cum illius certaminibus compara; dolores, humiliationes tuas cum illis, quæ ipſe pertulit; contradictiones, quas paſſus eſt, cum iis, quas pateris; gaudia, voluptates, quibus ſeipſum privavit cum iis, quas ipſe reliquiſti; magnos conatus, quos ſubiit totum effundens ſanguinem, cum modica reſiſtentia, quam ſuſtines ignave ſanguini parcens tuo: reſpice, inquam, hoc exemplar; cumque tandem tibi perſuaſeris, ea, quæ ipſe pro te fecit, & paſſus eſt, toto cœlo excedere ea, quæ pro illo facere, & pati potes, teipſum excita, ut ad mortem uſque in ſanctarum legum ejus obſervantia perſeveres. *A Ponte in Duce ſpirituali cap. 18. §. 1.*

Si animo aſſecuti fuiſſetis, quid ſibi velit S. Paulus per ea verba: *Digne Deo*, intelligere debuiſſetis, illi ſerviendum eſſe, quantum fragilitas humana ſinit, & magnitudo ejus meretur. Deus autem infinitus eſt, ac nullis finibus continetur; digne igitur illi ſervire eſt ſemper gerere in corde ignem æternum amoris ſancti erga objectum hoc, quod eſt infinite amabile, nullis finibus circumſcribere ſervitutem, quam illi adhibemus; totum illius eſſe, non ſolum ſine exceptione, verum etiam in æternum. Cauſa, & fundamentum hujus obligationis eſt ſupremum illud dominium, quod habet in nos, quod eſt immutabile, atque æternum; ideoque nullum eſſe poteſt tempus in omni vita, quo eidem famulari non debeamus; & quemadmodum ratio, propter quam noſmetipſos illius cultui devovimus, eſt ſuprema illius magnitudo, quæ immutabilis eſt, ac æterna, & ſemper eadem; memoria eorum, quæ illi debemus, nunquam ex animo noſtro delenda eſt. *P. Antonius a S. Martino a Porta in Poſtrema parte libri, cui titulus*: Les conduites de la Grace.

Pietas noſtra conſtans eſſe debet, non fluxa, neque temporaria.

Si ſtatis tantummodo diebus pietatem coleretis; ſi virtutem haberetis pro illis tantum temporibus, quæ per intervalla redeunt, uti in terrenis rebus accidit, ſatis oſtenderetis, vobis de religionis noſtræ inſtitutis non ſatis conſtare; vos etiam ignorare, quid ſit vera

virtus,

virtus, cujus eſt agere conſtanter; vos illius habitum non habere, ideoque nonniſi ex libidine, ingenioque veſtro agere; ac tandem, ut loquitur evangelium, vos non ſatis profundas in pietate radices jeciſſe: *Non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt.* Marc. 4. Hi homines ſunt temporibus ſubjecti, qui perfunctoriam habent pietatem quibuſdam diebus feſtis adnexam, quibus aliquam præſeferunt modeſtiam, & aliquot horas ſuis ſurripiunt affectibus Deo impendendas: aliquot preces effundunt, ac religionis ſuæ muneribus perfunguntur, & poſt aliquam cæremoniam, cujus cor nullam obtinet partem, putant ſe omnibus defunctos officiis, ad priſtinum vitæ morem revertuntur, eaſdemque repetunt conſuetudines, quæ illos coram Deo nocentes fecerunt. Quibus perfunctoriis pietatis, & religionis actibus nil adepti ſunt, niſi quod conſcientiæ ſuæ ſtimulis atque exprobrationibus indixere ſilentium.

Rationes duæ, quæ nos conſtanter in Dei cultu perſeverare jubent.

Prima harum rationum ea eſt, quod non ſatis diluculo Deo ſervire incipimus; & ſicuti nimis ſero ſemper initium fecimus, ex eo, quod nobis ad vivendum ſupereſt, tempore ne illud quidem abradere opus eſt, quo eidem non famulemur. Ab ipſo temporis momento, quo rationis uſum adepti ſumus, Deo ſervire debebamus, eumque amare, ſtatim ac ipſum agnovimus; at fortaſſe potior vitæ noſtræ pars effluxit, quin adhuc illum ſerio diligere, atque ſervire inceperimus. Poſtquam ſacro abluti fuimus baptiſmate, ubi ſolemniter nos divino huic Domino famulaturos ſpopondimus, illum nunquam relinquere debemus, ſed illi fideliter præſtare fidem, & ea omnia perficere, quæ eidem coram cœlo, terraque promiſimus: Sed ea deſertione, quæ turpis æque fuit, ac nefaria, eodem fere momento, quo rationales, facti ſumus etiam nocentes: quemadmodum peccatores eramus, ſtatim ac vitam accepimus. Nonne igitur æquum eſt, ut ad reſtitendum, vel ſaltem reparandum hoc tempus adeo inutiliter inſumptum, quod reliquum eſt, illi penitus devoveamus ſine ulla intermiſſione, & quin ne minima quidem fraudemus ejuſdem particula Deum, cui totum, quantum eſt, debetur. Saltem S. Auguſtini ſenſus concipere oportet. Eheu! Nimis ſero, Domine, te amavi, tibique famulatus ſum, qui mereris, ut in æternum ameris, tibique ſerviatur. Eheu! licet unum tantum retardaſſem annum, menſem, hebdomadam, diem, ſemper ſero nimis incepiſſem! Quid ergo, ut minimum, mihi faciendum ſupereſt, niſi reliquum vitæ meæ ſpatium tibi totum devoveam? Me dilexiſti, Domine, tota æternitate, quæ præceſſit, ac me amare incepiſti; me omni, quæ ſubſequitur, æternitate diliges, ſi ita felix fuero, ut opellis meis æternam merear felicitatem, cui me deſtinaſti. Saltem modicum hoc intervallum, quod inter hæc duo interjacet extrema, integre, & conſtanter in tui amore, & cultu impendatur. *Partim ex eodem auctore deſumptum.*

Ratio altera, quæ nos ad perſeverantiã debet excitare.

Ratio altera, quæ nos excitare debet, ut in Dei cultu perſeveremus, hæc eſt, quod nunquam niſi nimis cito finem imponimus. Etenim, quæſo, quid hanc tetigit animam, cum generoſo, chriſtianoque conſilio peccatum quidem relinquere, virtutem vero amplecti decrevit? Sane vel metus judiciorum Dei, vel ſalutis ſuæ deſiderium, vel fortaſſe motus magis purus, atque ſublimis illam excitavit, ut ſeſe dederet, & converſio illius aliquandiu perſeveravit; verum ſanctus hic motus ceſſavitne? Quid lacrymarum fontem exhauſit, & pœnitentiæ curſum inhibuit? Bonitas, juſtitia, miſericordia Dei ſancta hæc conſilia pepererunt; nunquid hæc cauſa deſiit? Haud ita ſane; Deus nunc æque, ac olim amabilis eſt, juſtus, & magnus: eſſe non deſiit, quod erat; cur ergo non ſimus, quales erga ipſum eramus? Cur in cultu ipſius non perſeveremus? Licet ergo zelus, & fervor pro divinæ hujus majeſtatis cultu habendus unica tantum ante vitæ exitum die ceſſaret, hoc nimis cito contingeret; nulla enim dies eſt, nullum momentum, quo Deus colendus, amanduſque non ſit; ac nullos perſeverantiæ noſtræ terminos circumſcribere debemus, quia ex eo momento, quo eidem ſervire deſinimus, quidquid pro eodem hactenus feceramus, pro nihilo habetur, & nos fructum, meritumque amittimus. *Idem.*

Æternæ remunerationis ratio nos excitare debet, ut in virtute perſeveremus.

Pro laborum tuorum mercede beatam ſperas æternitatem; æternitas hæc nunquam tibi tribuetur, niſi præmii titulo; & præmium ſupponit merita. Si ergo æternitas beata in te peperit deſiderium ſerviendi Deo, & ſi eadem ſpem alit tuam, eam merearis oportet. Verum meritum inter, ac præmium aliqua requiritur proportio, porro inter illud tempus, quo eam mereri potes, & æternitatem nulla vera datur proportio; numquam enim tempus æternam durationem æquabit; tempus, quod tibi conceditur, finitum eſt, æternitas infinita; nulla igitur adeſt proportio, quæ nihilominus eſt invenienda, eaque hæc eſt. Æternitas nullis finibus coercetur: ergo Dei cultus, qui nullis terminis coercetur, magis accedet ad æternitatem, quam quod ſuos habet limites, atque menſuras. Igitur cum ſancto Rege David Pſalm. 118. dicendum eſt: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Certum conſilium cœpi Deo fideliter adhærendi, quippe mihi cum eo res eſt, qui gloriæ æternitate leviſſimam etiam præſtitam ſibi opellam remuneratur. *Idem.*

Triſte exemplum deficiẽtis perſeverantiæ.

Addere poſſumus ad conſolationem eorum, qui crucem gravem, & longo tempore egeſtare coguntur, exemplum ex oratione S. Caſilii in Quadraginta Martyres . . . . In perſecutione Licinii Imperatoris, milites quadraginta cum in fide Chriſti perſeverare ſtatuiſſent, damnati ſunt, ut ſub dio, nudi, tempore, & loco frigidiſſimo, totam noctem conſumerent, & eo modo longiſſimo, acerbiſſimoque martyrio ex congelatione perirent. Aderat autem paratum balneum calidum, ut ſi qui fidem abnegare vellent, in eo reciperentur. Ex iis triginta novem non tam ad pœnam congelationis præſentem, & brevi finiendam, quam ad coronam gloriæ ſempiternæ mentis oculis aſpicientes, facile in fide perſeveraverunt, & coronas ſplendidiſſimas de manu Domini meruerunt. Unus, qui totus erat defixus in pœna ſua conſideranda, & appendenda, perſeverare non potuit, & ideo in tepefactum balneum inſiluit. Sed continuo defluentibus carnibus jam congelatis, animam exhalavit; & ad inferos, ut Chriſti abnegator, ad perpetua tormenta deſcendit. Sic mortem fugiens mortem invenit, & crucem brevem, & levem cum ſempiterna & graviſſima commutavit. *Bellarminus de ſeptem verbis Domini in cruce, lib. 2. cap. 18.*

Nonne mira cæcitas eſt hominis, qui ſe divino cultui devovit, immo nonne ſpecies impietatis eſt, pro viribus ſacrificii ignem extinguere, ubi fortaſſe prope eſt, ut holocauſtum prorſus abſumat? Nonne dementis eſt poſt exantlatos totius anni labores, omnes perdere fruges, eo quod meſſis laboribus parcere vult? Nonne ignavi eſt ſeſe objicere periculo mercedis amittendæ ex vinea egrediendo tunc, cum vix horæ quadrans ſupereſt ad laborandum? Nonne eſt competitoribus præmium relinquere, ſubſiſtere in ſtadio, cum duo fere reliqui ſunt gradus ad bravium referendum? Denique nonne eſt coronam renunciare, arma turpiter abjicere, atque corripere fugam, cum duo tantum ſuperſunt momenta, quibus præliandum ſit, ut referatur victoria? Jure ergo Salvator nos admonet ad ſalutem conſequendam in finem uſque perſeverandum eſſe: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Matth. 10. *Liber, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii Præſbyteri.*

Deus pati nequit incõſtantiam in cultu ſuo.

Deus vult ſibi nos conſtanter ſervire, neque patitur mobilitatem in iis, qui ipſi famulantur. Vult ipſos ſtare, nihilque magis pietati abrogat fidem, quam uniformem non eſſe in vitæ ratione, quam variam eſſe, & modo facere, modo facta abolere. Inconſtantia propria eſt operibus hominum, & immutabilitas character eſt operum Dei. *Abbas Trappenſis, tom. 2. dogmatum Chriſtianorum.*

Fervor ſæpe inſtaurandus eſt, ac bona deſideria fovenda, ut perſeveretur.

Si animum advertet homo ad negligentiam, atque inconſtantiam, in quam illum naturæ corruptio trahit, numquam fatigabitur ſuum zelum, & fervorem inſtaurans, ſuamque excitans religionem, ut in bono, & virtutis exercitatione perſeveret. Certe enim ſemper magis deferveſcimus, noſtrumque pondus terram verſus nos deprimit: & niſi indeſinenter noſmet excitamus, facere non poſſumus, quominus in ſoporem incidamus, atque medio in ſtadio remoremur periculum ſubeuntes, ne illud abſolvamus. Hoc magnum eſt malum illis, qui ob Chriſtifidelium qualitatem, & imperium Jeſu Chriſti vivere tenentur in jugi vigilantia, ac deſiderio eidem in omne vitæ ſuæ ſpatium famulandi. *Idem.*

Quid mala metuendũ ſit illis, qui in via virtutis non perſeverant.

Juſti, qui modo inceditis in via juſtitiæ, quænam eſſet infelicitas veſtra, ſi poſtquam diu ſalutis veſtræ negotio operam navaveritis, poſtquam totum diei, & æſtus pondus ſuſtinueritis, poſtquam de carnis, & mundi tentationibus tot triumphos retuleritis, ac plures annos in arcta, moleſtaque virtutis via deambulaveritis, tunc funeſto lapſu caderetis, cum jamjam ad montis verticem evaſuri ſitis! Mementote, in Chriſtianorum præliis a fine victoriam pendere; ideoque ne miremini, ſi minus perfruimini ea requie, quæ in termino tantum, ac in patria invenitur. Semen jeciſtis: virtutis veſtræ fructus proceſſerunt, ſed nondum ad perfectam maturitatem pervenere. Uberrimæ inſtat meſſis tempus: patienter præſtolamini diem Domini, neque inquiratis in tempore, quod in æternitate ſolum vobis promiſſum eſt. *Specimen Sermonum pro quarta poſt Pentecoſten Dominica.*

SUP-

SUPPLEMENTUM.

Licet perſeverantia ſit donum Dei, tamen perſeverantiæ defectus eſt noſtrum opus.

Cogitate, quamvis perſeverantia in gratiæ vita merum ſit donum Dei, defectum tamen perſeverantiæ eſſe ſolum opus noſtrum. Hæc gratiæ vita, quam nobis pœnitentia reſtituit ſuapte natura æque immortalis eſt, & incorruptibilis, ac anima noſtra, quæ ejuſdem ſubjectum eſt. Si contra Dei mentem gratiam hanc amittimus, nobis, non illi vitio vertendum eſt; & in hoc ſitus eſt error noſter. De hujus finalis perſeverantiæ neceſſitate eruditis, quomodo nobis contendendum eſt, ut illam aſſequamur? Nonne toto vitæ tempore vota eſſent nuncupanda ad pretioſum hoc munus obtinendum? Finalis perſeverantia nonne indeſinenter eſſe deberet, & deſideriorum noſtrorum objectum, & finis actionum noſtrarum, & argumentum, ut ita dicam, omnium noſtrarum orationum? Acquirimus meritorum, gratiarumque theſauros, quid hoc? niſi ad extremum uſque momentum perſeveraverimus in gratiæ vita; ſi nobis maximum illud contigerit infortunium moriendi in peccato mortali, Deo inviſis, ejuſdem inimicis. Quantumvis in innocentia ac fervore pœnitentiæ vixerimus ad illud uſque temporis momentum, quod extremum illud præcedit; ſi extremo hoc momento decretoriam hanc gratiam amittimus, actum eſt de nobis in omnem æternitatem. Deus omnia præterita opera noſtra bona nullo habet in diſcrimine. In nullam reditus ſpem reprobaris, & in ſingulos non petis a Deo gratiam hanc, & nihil agis, ut illam obtineas? Quæ cæcitas! *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Finalem gratiam mereri nõ poſſumus, poſſumus autem illam obtinere.

Licet perſeverantiam, & finalem gratiam mereri nequeamus, poſſumus tamen noſmet tanto non indignos munere exhibere. Perſeverate in fuga peccati, in praxi virtutis, in vitæ integritate, & confidite futurum ut Deus ſit vitam innocuam ſancta mortem coronaturus. Perhorreſcite, quidquid efficere poteſt, ut gratiæ vitam amittatis. Fugite quaſcumque peccati occaſiones; & ſi in peccatum aliquod incideritis, ne occidat Sol, antequam ad Pœnitentiæ Tribunal confugiatis. Non feſtum, neque commodum expectetis diem; eo ipſo die, ſi fieri poteſt, abluite ſordes veſtras lavacro ſalutari, quod ad peccata veſtra luſtranda Salvator in Eccleſia conſtituit. Moras nectere hac in re periculoſæ opus eſt plenum aleæ. Hæc fuit cauſa funeſta reprobationis plurimorum, qui hactenus vitam egerant, quæ longe alium finem pollicebatur. Quotidie aliquot Deo preces offerre, finalem ab eo gratiam impetraturi. Divini ſacrificii tempus aptiſſimum eſt ad tantum hoc munus a Divina Majeſtate petendi. Ad id Beatiſſimæ Virginis opem expoſcite; quotidie peculiarem ad id orationem effundite, ut per præſentiſſimam illius interceſſionem perſeverantiæ donum acquiratis. Illi hoc certe certius impetrant, qui vera pietate illam colunt, & venerantur *Idem.*

Finalis perſeverantia unica eſt, & ſuprema noſtra beatitudo.

Finalis perſeverantia ſupremum eſt hominis bonum, illi enim æternam ſummi boni poſſeſſionem procurat. Vivere in innocentia, & gratia, & amicitia Dei ſola eſt hominis in hac vita felicitas: quodvis aliud bonum, quævis voluptas illuſio eſt, inanis occupatio. Sed perſeverantia in gratia, nobis eſt perfecta felicitas. Quantumvis fervens noſtra fuerit converſio, nullam habebit vim, niſi perſeverantiæ donum habuerit. Hoc proprie illud donum eſt, quod bonorum operum noſtrorum pretium conſtituit. Sine perſeverantia, perfectiſſima innocentia, virtus nitidiſſima, auſteriſſima pœnitentia nil proſunt. Saul a Deo peculiari prædeſtinatione fuerat electus; Salomon in ſe Orbis totius admirationem propter pietatem, ac ſapientiam converterat: Judas unus erat ex albo Apoſtolorum Domini, immo etiam multa patraverat miracula: Origenes nihil intentatum reliquit, ut pro Jeſu Chriſto ſuum effunderet ſanguinem. Tertullianus diu Eccleſiæ Pater habitus eſt. Omnes ſummi iſti viri optime inceperant; omnia hæc lumina plurimos annos optime Eccleſiæ prætulſerant; aliquandiu etiam in innocentia, fervore, omnibuſque vitæ Chriſtianæ muneribus perſeveraverunt. Honori erant Religioni donec in gratia perſeveraverunt, ſed cum tandem ab hac morum integritate defecerint, & in Domini via fuerint fatigati, ſeque cupiditatum, pravorumque exemplorum vi trahi paſſi fuerint, quinam extitit triſtis illorum finis, quænam illorum æterna calamitas? *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Hæc omnibus operibus bonis cumulum addit.

Gratia finalis, hæc finalis perſeverantia in gratia omnibus finem imponit. Eleemoſynæ, pœnitentiæ, bona opera, pietatis actus, nihil horum in alteram uſque vitam traducitur, quod non ſit hac nota, & hoc ſigillo notatum. Imprudentes Evangelii Virgines in ſua virginitate perſeveraverant: delicatus hic flos nondum evanuerat; multa bona opera collegerant; tamen ſub diei finem miſere dormitant; non perſeverant in ardenti ſalutis zelo, in hac adeo neceſſaria vigilantia, ſine qua, plerumque in manifeſto pereundi periculo verſamur. Sponſus advenit, cum jam erant egreſſæ: hic illas non ut alias in officio ſuo permanentes reperit; illæ in primo fervore non permanſerunt, ideoque damnantur. Bone Deus! fierine poteſt, ut hæ rationes, hæc documenta, hæc exempla parum adeo moveant animum, & cor eorum, qui in eodem ſtatu verſantur? *Idem.*

Cauſa tot lacrymarum, quas Sancti fuderunt erat deſiderium amiſſam gratiam reparandi.

Sancti ideo tot lacrymas profuderunt, auſteriſque pœnitentiis ſeſe mactarunt, licet ſibi peccata ſua dimiſſa fuiſſent; quia ardentiſſime cupiebant recipere a Deo gratias, favoreſque, quorum jacturam fecerant. Tu, qui tot gratias abſumpſiſti, qui tot annos reſtitiſti Deo, quodam ſolemnitatis die accedis ad peccatorum tuorum abſolutionem percipiendam non ſine attritione cum Confeſſarii abſolutione conjuncta. Putaſne, bona fide quæſo, putaſne ideo te tutum eſſe? Nonne tibi juſtum eſt timendi argumentum, an per hæc peccata meritus fueris non obtinere quibuſdam in occaſionibus has validas, & efficaces, quibus deficientibus certiſſime in grave incides crimen? Itera preces tuas, auge mortificationes, multiplica bona opera, ut hoc pacto iterum merearis lumina, gratias, omniaque divinæ miſericordiæ ſubſidia, quibus te indignum probaſti, utque potiſſimum finalem gratiam conſequaris, quas ipſi mereri non poſſumus. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Tẽpus amiſſum reparandum eſt ad finalem gratiã a Deo obtinendam.

Eſau Parenti ſuo dixit: *Pater numquid non ſervaſti mihi benedictionem?* De ſe actum eſſe arbitrabatur, & precibus ſuis a Patre benedictionem conſequitur. Ita inquies, tot, & tam enormia peccata commiſi: ad Religionem evocatus fui, & vocationem repuli: Numquid deſperandum eſt mihi; nullæ ultra mihi gratiæ ſuperſunt? Non ita quidem; ſed opus eſt, ut lacrymis, precibus, auſteritatibus, bonis operibus opportune, importune fatiges Deum, (abſit invidia verbo) ut tibi recentes gratias largiatur; cumque illius miſericordiam fueris aſſecutus, non ſatis eſſe putes commune vivendi genus, quod quidem amicis Dei ſatis eſſe poteſt. Tu vero qui fere numquam in virtutis viis ambulaſti, greſſus itera, amiſſum tempus redime, & vitam duc adeo ab omni labe vacuam, ut ſub vitæ exitum a Dei miſericordia conſequi valeas poſtremam hanc gratiam, a qua tua pendet æternitas, & quam nemo ullo jure, vel titulo mereri poteſt, licet ſit cauſa æternæ beatitudinis noſtræ. *Idem.*

Fruſtra capimus bene vivendi conſilium, niſi in eo perſeveremus.

Sancta licet ſint ea, quæ hactenus cæpimus, conſilia ſequendi partes virtutis, atque ad ſtatus noſtri perfectionem tendendi, hoc ſatis non eſt, niſi in illis perſeveraverimus. Parum eſt bene incipere, & aliquot annis in incepto perſiſtere; fidelem eſſe opus eſt uſque ad extremum vitæ ſpatium; huic enim uni Deus æternam vitam pollicetur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* (Apoc. 2.) Quamvis in omnium virtutum praxi, & auſteriſſimæ pœnitentiæ exercitatione verſati fuiſſemus annos quinquaginta, vel ſexaginta, vel etiam centum, hæc omnia nihil ad æternitatem prodeſſent, ſi momento ante obitum extremo a virtute recedimus: *Incaſſum bonum agitur: ſi ante terminum vitæ deſeretur.* (D. Gregor.) S. Paulus male cœpit, & bene deſit. Judas e contra bene inceperat, & male finem vitæ ſuæ fecit. Hinc alter quidem in gloria eſt, alter vero æternum erit in inferno cum dæmoniis. Quod vero hac in re terribilius eſt; gratia hæc, cujus ope perſeveratur, non omnibus datur. Gratia eſt gratuita, mera gratia, quam Deus, cui vult, ad arbitrium largitur. *Chriſtianæ Conſiderationes.*

Tuta ratio perſeverandi in bono eſt de nobis diffidere, & confidere in Deo.

Enixe a Deo nobis expetenda eſt gratia perſeverantiæ: inceſſanter eſt petenda, & cum timore, ac tremore ſaluti noſtræ invigilandum eſt: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* De nobiſmetipſis diffidere tenemur; omnibus cordis noſtri motibus invigilare, ac de ſalute noſtra ſollicitos eſſe, ſcientes non licere nobis quapiam in re confidere, non in voluntate noſtra, quæ adeo infirma, & mobilis eſt, non in bonis operibus, neque enim opera quævis licet præſtantiſſima jure perſeverantiæ gratiam mereri poſſunt; non in gratiis, quibus cumulati ſumus, quibus nos ad mortem uſque fideles nobiſmet polliceri nequimus; quot enim mortales in virtutis praxi vixerunt, qui tamen calamitoſum nacti ſunt exitum? Salomon, ſapientiſſimus omnium, poſtquam diutiſſime Deo fidelis extitit, ſub vitæ ſuæ finem in idololatriam lapſus eſt. Judas ad Apoſtolatus apicem evectus, miraculorum, atque virtutum Filii Dei teſtis, cœleſtibus gratiis cumulatus ſit proditor, Apoſtata, ac in deſperationem

actus

actus obit. Quis ad lapſuum adeo funeſtorum adſpe-ctum non contremiſcet! Ne confidamus in optimis conſiliis noſtris. Quotuſquiſque diu ſæculi hujus corruptioni reſiſtit! Unius flagitioſi hominis ſufficit ſocietas, ut quam primum omnes boni pietatis, & timoris Dei ſenſus, quos ſancta plurium annorum educatio pepererat, jugulentur. Si ſapimus, alienis proficiamus exemplis. Ut tantum malum evitemus, videamus, quid obſiſtere poſſit ne in bono perſeveremus. Scrutemur corda noſtra; Cogitemus quænam in nobis dominetur cupiditas; videlicet quænam frequentius nos in ſcelus impellat; & ſine remiſſione, & hunc ſalutis noſtræ inimicum oppugnemus, hic enim magnus eſt obex perſeverantiæ. *Conſiderationes Chriſtianæ.*

Naturalis inconſtantia noſtra magnum nobis eſt timendi argumentũ ut perſeveremus.

Quam terribilis hæc eſt perſeverantia! Quæ nobis eſt metuendi ratio: nobis, qui hactenus adeo inconſtantes fuimus in Dei ſervitute; nobis quorum vita lapſibus, & relapſibus plena eſt, qui hodie ferventes ſumus, cras intepeſcimus; hodie pœnitentes, cras peccatores; hodie certi vim faciendi affectibus noſtris; cras earumdem cupiditatum mancipia, quæ nos deteſtatos ſatis fuiſſe arbitramur. Quoties enim Deo polliciti ſumus, nos illi fidelibus, quam ante adhæſuros; & quoties datam illi fidem perfregimus? Si qui præ ceteris ſanctitate fulgent, & qui Deo fideliſſimi extiterunt, donec in mundo ſunt, certi eſſe nequeunt, ſe perſeverantiæ gratia donandos eſſe; quid timendum eſt illis, qui tot gratiis abuſi ſunt? O nos adeo ſingulari munere indignos! In divina bonitate tua, Deus, ſpem omnem ſtatuimus, ſperantes te nobiſcum tua uſurum miſericordia. *Ibidem.*

Ad perſeverantiæ donis obtinendum quotidie nobis inſtaurandæ ſunt proteſtationes Deo ſemper fidelius ſerviendi.

Cum nobis perſuaſum ſit, non poſſe nos finalis perſeverantiæ gratiam promereri, ſaltem noſmetipſos præparare debemus ad illam percipiendam omnes auferendo obices, qui eadem privare nos poſſent. Idcirco nobis oppugnanda eſt miſera cupiditas illa, quæ inutiles effecit tot gratias, quas nobis conceſſerat Deus, & quæ certiſſime nos ad finalem impœnitentiam adduceret. Ergo nulla occidat dies, qua perſeverantiæ gratiam non popoſcerimus: utque in nobis vigeant boni illi cordis affectus, qui modo inveniuntur in nobis, quotidie mane profiteamur Deo, nos illi ſemper fidelius adhæſuros. Ab eo gratiam deprecemur hæc conſilia noſtra exequendi. Quotidie cubitum euntes, & redeuntes cubitu exploremus, quo pacto illa a nobis ſervata fuerint, ut ſicubi defecerimus, poſſimus deinceps magis, magiſque nobis invigilare. *Ibidem.*

In bono perſeverandum eſt.

Quandoquidem Dominus adventat, ſta eo in ſtatu, in quo es, & tene locum, quem obtines. Hoc tua maxime refert; quiſnam eſſet dolor tuus, ſi quod noluiſti aliquot adhuc pugnare dies, amitteres deſtinatam tibi coronam? Verum quinam iſte locus eſt tibi tanta cura ſervandus? Hic eſt, in quo integram ab omni labe vitam ducis, & ambulas in viis Domini: *Eſto firmus in via Domini.* Eſto igitur firmus, & inconcuſſus in hoc conſilio Deo prorſus inſerviendi. Eſto fidelis omnibus pietatis operibus: humilitatem, charitatem, mortificationem exerce. Abeſto a peccati occaſionibus; minimis tentationum incurſibus audacter reſiſte; verbo, in bono, quod facis, perſevera: *tene quod habes.* Verum eſt, te hoc ſine Dei gratia facere non poſſe, ſed hanc ille numquam reſpuit petentibus illam, & ſemper tribuit neceſſaria ſubſidia ad illam poſcendam. *P. Segneri in Meditationibus.* Eccl. 3.

Nonniſi per aſſiduas preces perſeveramus.

Quoniam omnia bona procedunt a Deo, a fortiori ab illo dumtaxat expectanda eſt finalis perſeverantia, quæ donorum omnium præſtantiſſimum eſt. Nam licet Deus hominem juſtificans illi vim præbeat perſeverandi, illi tamen non largitur actum, ipſam videlicet perſeverantiam. Ut ad finem uſque in juſtitia perſeveremus, opus eſt gratia ab ea, quæ nos juſtos conſtituit, & per gratiam hanc nos Deus uſque ad mortem illuminat, per hanc amovet a nobis omnes occaſiones lapſus, nos adigit ad jugem bonarum actionum praxim, nos animat, noſque in ſtatu juſtitiæ confirmat. Ita finalis perſeverantiæ gratia plures amplectitur alias; & ideo quanam humilitate, fervore, conſtantia illæ a nobis petendæ ſunt? Verum eſt nos minime poſſe perſeverantiæ gratiam promereri, ſaltem *de condigno*, ut Doctores loquuntur, ſed illam precibus obtinere poſſumus. Viam hanc nobis ſtravit Deus, ut ab illo per ipſius miſericordiam impetraremus, quod per juſtitiam non valemus percipere. Ita Deo non renuente ſervorum ſuorum precibus finalis perſeverantiæ donum, facilis inde patet argumentatio, nos in bono perſeveraturos, ſi in oratione perſeveraverimus. Verum ad obtinendam per preces hanc auxiliorum ſeriem, quæ nos ad ſalutis portum adducat, Sanctus Jacobus nos monet, ut ad Deum ſub nomine Patris luminum confugiamus. Similis Solis, qui lucet, qui fovet, ſimulque roborat, Deus in oratione mentes noſtras illuminat, inflammat corda, vireſque neceſſarias ſuppeditat, ut bonum operemur, ut bonum facili negotio operemur, ut bonum uſque ad finem operemur. *P. Segneri in Meditationibus.*

PŒNITENTIA.

Virtus, neceſſitas, efficacia, & conditiones pœnitentiæ, &c.

MONITUM.

Apud ſanctos Patres, & in eccleſiæ uſu duo pœnitentiæ genera invenimus præter eam, quæ ſacramentum eſt, & hoc nomine appellatur; alteram, quam converſionis pœnitentiam dicimus, & in eo ſita eſt, ut nos criminum noſtrorum pœniteat, atque ſummum eorum dolorem, ſincerumque non ulterius peccandi propoſitum concipiamus: alteram, quæ expiationis pœnitentia vocari poteſt, cujus eſt expiare peccatorum reliquias, eorum etiam, quorum per ſacramentum, & ſatisfactoriam operam veniam ſumus conſecuti. De altera hac pœnitentiæ ſpecie, quæ primis eccleſiæ temporibus adeo familiaris erat, & quam modo vix norunt Chriſtiani, hoc in loco verba facimus; cum de pœnitentia converſionis, ſeu virtus illa ſit, ſeu ſacramentum, fuſius ſub ſeparatis titulis actum ſit.

Pœnitentia igitur hoc in ſenſu accepta, ſcilicet expiationis, & ſatisfactionis criminum noſtrorum, quamvis ſejungenda non ſit a dolore eorumdem, hic enim excitare debet, & omne illius meritum conſtituere; pœnitentia, inquam, hoc in ſenſu accepta ea proprie eſt, de qua frequens adeo in evangelio incidit ſermo, cum nos hortatur, ut dignos pœnitentiæ fructus feramus, illa, quæ Prophetæ in lege veteri prædicabant, illa, de qua ſermones, & homilias habuere Sancti Patres, & ad quam ipſi etiam Concionatores auditores ſuos debent hortari; non quod ſeparanda ſit a contritione, interiorique peccatorum dolore, ſed quod extrinſecus etiam ſeſe proferre debet per voluntarias pœnas, ut faciat ſatis divinæ juſtitiæ. Itaque ſuppoſito, quod exterior hæc pœnitentia ſit indicium, & effectus interioris, collegimus, quidquid magis notatu dignum occurrit de hujus pœnitentiæ neceſſitate, poteſtate, efficacia, & conditionibus, necnon de modo illius inſtituendæ, ac ea, quæ inde percipitur, utilitate.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. Ut argumentum adeo late patens ad juſtam concionis formam redigatur, mihi ſatis non eſt illud ad eam coarctare partem, quæ dicitur ſatisfactio, ſed, quidquid de pœnitentia generatim ſumpta utiliſſimum eſſe poteſt, duabus hiſce propoſitionibus complector. 1. Neceſſum eſſe agere pœnitentiam pro noſtris criminibus, ubi oſtendam, cuinam rei innitatur obligatio illa expiandi pœnis ultro ſuſceptis, quantumvis illa per pœnitentiæ ſacramentum fuerint dimiſſa. 2. Quænam hæc eſſe debeat pœnitentia, hoc eſt, quas habere debeat conditiones.

Quod ad priorem pertinet: poſito quod in quolibet mortali peccato non deſit & culpa, quæ eſt offenſa, videlicet injuria facta Deo, & pœna, quam per crimen ſuum meruit peccator; præterea quod Deus peccatori noxam remittens non ſemper omnem debitam peccato pœnam remittit, ſed ex æterna temporalem tantummodo efficit, peccatori per virtutem pœnitentiæ, quæ hac in re divinæ juſtitiæ vices, locumque ſubit, perſolvendam. Dico pœnitentiam hoc in ſenſu acceptam fideli neceſſariam eſſe; 1. quia peccatum per ſacramentum nequaquam omnino dimiſſum eſt; remanet enim adhuc aliqua pœnæ pars, quæ nondum remiſſa eſt, ſed adhuc eſt perſolvenda. Hinc igitur ſequitur, divinam expoſcere juſtitiam, ut peccator adimpleat ea, quæ deſunt paſſionum Jeſu Chriſti, ut loquitur S. Paulus. Secundo, quia cum citra peculiarem revelationem haberi nequeat indubitata certitudo, peccatum nobis dimiſſum fuiſſe, & quoad culpam deletum, nihil majorem hujus rei certitudinem moralem tribuere poteſt, quam ejuſdem a nobis inſtituta ſatisfactio; hoc enim apertius nobis ſignificat dolorem, quem ob læſam Numinis majeſtatem concipimus. Tertio, quia divina juſtitia, quæ cum miſericordia integram partitur peccati deſtructionem, ſibi vel in hac, vel in altera vita vult ſatisfieri; ideoque cum quodvis peccatum puniendum ſit vel a Deo, qui aliquando ſeveriſſimas illius expetet pœnas, vel ab ipſo peccatore; extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt ad evitandum ſeverum ſupplicium, quod inflicturus eſt Deus, ſcelus in hac vita expiandum eſſe per pœnitentiam, quæ quantumlibet ſevera ſit, longe minori ſumptu Deo ſatisfaciet.

Pro parte altera. Si quæris, quænam hæc eſſe debeat pœnitentia, & quæ conditiones illius; dico, 1. ſeveram eſſe debere, ut ſatisfiat divinæ juſtitiæ, cujus locum tenet; 2. debere eſſe jugem, & conſtantem, ac tantum perſeverare, quantum peccati viget memoria; 3. congruam eſſe debere peccatorum magnitudini, multitudini, & qualitati.

II. 1. Peccatori confidendum eſt in virtute pœnitentiæ, tamquam in certiſſima medicina, ac valido ſtudio, quo reparare valeat jacturas, quas paſſus eſt; ſed hæc confidentia inniti debet miſericordiæ Dei, qui modum nos docuit leniendi, ac ſatisfaciendi juſtitiæ ſuæ, dignos pœnitentiæ fructus faciendo: 2. peccatori diffidendum eſt in ſua ignavia, ac juſto metu nequaquam dignos pœnitentiæ fructus ferendi, ſibimet nimis indulgendo, &c. *Ex Specimine Sermon. pro Dominicis tom. 1.*

III. 1. Pœnitentia ſumpta pro ſatisfactione, & expiatione peccatorum par quodammodo eſſe debet eorumdem magnitudini, & qualitati. 2. Modus juſtæ hujus proportionis adhibendæ, quantum ſtatus, ac infirmitas noſtra patiuntur. *Ex eodem ſpecimine tomo eodem.*

IV. 1. Pœnitentia medetur peccati vulneribus, ejuſdem ipſas delet cicatrices, quæ poſt dimiſſum etiam crimen ſuperſunt. 2. Reparat detrimenta, quæ peccatum attulit, merita, quæ amiſeramus, noſtræ charitatis fervorem, particularem Dei benevolentiam, iræ ejuſdem reliquias avertens. 3. Liberat a pœnis, quas merebatur peccatum, ad extremum uſque quadrantem divinæ juſtitiæ ſatisfaciens. *Ex eodem Specimine pro Adventu.*

V. 1. Religionis officia Chriſtianos omnes ad pœnitentiam inſtituendam obligant: 2. pœnitentiæ exercitia efficiunt, ut religionis officia, quantumvis moleſta ſint, videantur faciliora.

VI. 1. Nihil æquius, atque venerabilius eſt iis ſatisfactionibus, quas requirit Dominus a peccatore, qui divinam majeſtatem offendit, ubi oſtendendum eſt, auſteritates omnes, quas exercere poſſumus, quid parum eſſe, ſi conferantur cum ſuppliciis, quæ meriti ſumus. 2. Nihil gratioſius eſt ea bonitate, qua Deus recipit peccatorem ad ſe reverentem, & voluntariis pœnis in ſe injurias Domino illatas punientem.

1. Utilitas noſtra nobis neceſſariam efficit pœnitentiam, ut evitemus pœnas peccatis noſtris debitas, & propter alia bona, quæ ex hac virtute percipimus. 2. Gratia eam nobis facilem efficit, ac nos adducit ad contemptum difficultatum omnium, quæ occurrunt generoſa hæc conſilia adimplentibus, uti videre eſt in priſcis pœnitentibus, qui terribiles exercuere auſteritates: *Horum vita horrorem mihi incutit*, ut quidam Pater ait. 3. Gloria, quæ ſequitur pœnitentiam, ejuſque pretium eſt, eam nobis amabilem, & pretioſam præbet, quantumvis auſtera, & horrida aliis videatur: *Felix pœnitentia, quæ talem mihi promeruit gloriam*, dixit olim quidam Sanctus, qui poſt mortem S. Thereſiæ glorioſus apparuit. VII.

1. Nihil magis neceſſarium chriſtiano viro eſt, quam pœnitentia; nil enim magis in tuto ponit ſalutem illius reparans mala, quæ peccata illi pepererunt, amovens occaſionem recentia patrandi, eique viam aperiens ex integro divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi. 2. Nihil magis infrequens, & pejus in praxim redactum, quam pœnitentia: etenim, ut ſanctus hic Pater ait, defectus, qui in illa exequenda occurrunt, per aliam expiandi ſunt pœnitentiam. VIII.

1. Graviſſima quælibet pœnitentiæ ſeveritas ſuavis, aut levis eſt illis, qui ſcelerum ſuorum multitudinem, & gravitatem intelligunt. 2. Nihil nobis prætermittendum eſt, ut pœnitentiæ fructibus perfruamur. IX.

Patrum, ac interpretum ſententia eſt, pœnitentiam exhiberi per inſignem illam piſcinam, de qua in evangelio ſermo eſt; omnia utrinque ſibi reſpondent; ſed rationes, propter quas non omnes, qui ſeſe in illam conjiciunt, curantur, hæ ſunt: 1. quia non ſtatim in illam ingrediuntur, peccatorum pleriſque ſecus coram languentibus, ut olim paralyticus, qui duodequadraginta annos ibi jacuerat, quin hominem inveniret, a quo mitteretur in aquam: 2. quia ſatis in illam ſeſe non immergunt; non ſatis ſerio pœnitentiæ ſpiritum aſſequuntur, levem dumtaxat pro peccatis ſuis ſatisfactionem ſuſcipiunt. X.

1. Cum pœnitentiæ noſtræ finis, & cauſa ſit læſi Dei iram lenire, ejuſque ſatisfacere juſtitiæ, inde judicium ferendum eſt; quam diligens eſſe debeat pœnitentia, quam ſevera, & aliena ab iis omnibus rationibus, propter quas omnes fere peccatores ſibi parcere conſueverunt. 2. Menſura, & regula a nobis in pœnitentia noſtra obſervanda eſt, illam aptare magnitudini, & multitudini peccatorum noſtrorum; liquet enim, illis, qui ſæpius, & gravius divinam majeſtatem læſerunt, hanc gravioribus pœnis eſſe leniendam. 3. Fructus, & effectus pœnitentiæ eſt, Dei amicitiam, conſcientiæ pacem, interius gaudium recuperare. XI.

1. Cum evangelii prædicatio a pœnitentiæ prædicatione inceperit, Chriſtiani ſalutem ſuam operaturi, & perfruituri beneficio Dominici adventus ante omnia de pœnitentia inſtituenda cogitare debent: rationes vero hoc oſtendentes obviæ ſunt, & manifeſtæ. 2. Adminicula, quæ habemus, vel quæ nobis contulit Deus, ut hoc faceremus, variique modi agendi pœnitentiam oſtendunt, nullas eſſe executiones, quas prætexere valeamus, ne illam amplectamur. XII.

In pœnitentia tria poſſunt oſtendi, quæ ſermonis partitionem præbebunt. XIII.

1. Juſtum eſſe per pœnitentiam læſæ Dei juſtitiæ ſatisfacere: rationes petuntur ex illius magnitudine, & noſtra humilitate, ac indignitate; ex injuria, quam peccatum Domino infert, cujus omnia jura infringit. 2. Inevitabilis neceſſitas, qua peccator pœnitentiam agere tenetur propter allatas alibi rationes. 3. Incomparabilis utilitas, quam ex pœnitentia recipimus, & fructus, qui inde nobis proveniunt, qui ſatis cogniti ſunt. Ita pœnitentiæ æquitas, neceſſitas, & utilitas tria ſunt puncta concionis hujus argumenti.

Pœnitentia auſtera eſſe debet, & ſevera. 1. Ut Dei ira leniatur, ejuſque juſtitiæ fiat ſatis. Hoc primum illud eſt, ad quod obligat pœnitentia. 2. Ut vitæ rationem mutemus, vitamque ducamus prorſus oppoſitam illi, quam hactenus duximus. 3. Ut affectionum vincula infringamus, atque noſmet ab iis ſeparemus, quæ præ cæteris magis cordi ſunt. Quis negare poteſt tria hæc difficillima eſſe, atque maximam nobiſmet vim eſſe inferendam, ut votorum ſummam aſſequamur? *Ex P. Maſſon Oratorii Presbytero in decimotertio Adventus Sermone.* XIV.

Non loquor de pœnitentiæ ſeveritate, quatenus pertinet ad miniſtros; Præſulibus relinquenda cura eſt XV.

meden-